
# PET. DAN. HUETII

*EPISCOPI ABRINCENSIS*

DE

# IMBECILLITATE
# *MENTIS HUMANÆ*

LIBRI TRES.






AMSTELODAMI,

Apud H. DU SAUZET.

M. D. CC. XXXVIII.



# TYPOGRAPHUS
# LECTORI.

Quum esset Lutetiæ ante hos viginti annos vir Clarissimus Albertus Henricus Sallengræus, ac plerosque literatura insignes viros frequens inviseret, in familiaritatem receptus Petri Danielis Huetii, bina eruditissimi senis scripta manu opera ab ipso accepit, meisque, ut sua solebat omnia, typis destinavit. Alterum, qui Commentarius est de Rebus ad Huetium pertinentibus, emisit anno insequente MDCCXVIII. Alterius editionem, Auctori obsequens, præcipitari noluit. Ille enim, ut ab hominibus au-

divi rerum iſtarum bene gnaris, libro de Humanæ Mentis Imbecillitate ſuo fatum hoc dixerat, ne unquam niſi poſthumus ederetur. Cujus deliberationis aiunt illam fuiſſe cauſam, quod vereretur irritare crabones, ſenectamque ſuam objicere Carteſianorum telis configendam. Neque fruſtra veritum, ut qui conſcius ſibi eſſet ad ſcribendum veniſſe offenſum moribus quorumdam præfractè dictata Carteſii omnia retinentium, ea quoque in quibus neque color apparet veri, neque umbra*. Ipſum idcirco quæ Latino ſermone ſcripſerat Gallico reddidiſſe, ut quam poſſet plurimos ab illa ſecta abduceret. De his affirmant neminem dubitaturum, qui Cenſuram legerit Philoſophiæ Carteſianæ, ac præſertim Caput VIII.

Poſt-

* *Biblioth. Vet. & Nov.* Tom. XVIII. part. 2. Art. 10.

Poſtquam Huetium his fluctibus mors exemit, ac fœtui poſthumo exeundi dedit libertatem, ego etſi Latini operis exemplar a Sallengræo habebam tandem conceſſum, tamen faciendum duxi ut Gallicum typis ſubjicerem, quod Huetianâ itidem manu exaratum aliquis Huetii conſanguineus ad me transmiſerat. Fore enim putavi ut vulgaris ſermo lectorum turbam alliceret. Simul promiſi copiam Latini operis, ſi expeteretur, me deinceps eſſe facturum.


Nunc quoniam video jam dudum repoſci hæc promiſſa, fidem libero. Ut omnibus non placeat Huetii in coarguenda atque edomanda ratione acerbitas, placebit quidem orationis venuſtas & elegantia, quæ latinè ſcribentem nunquam deſeruit.

Ac ne cui libeat editionem

hanc ex frivolis ſuſpicionibus calumniari, moneo, præter exemplar quod accuratè deſcripſi, exſtare alterum in regia Pariſienſi bibliotheca depoſitum; Huetii manum agnoſcent qui eam norunt.

Quamquam autem nemini eſt ignotus Huetius, Hiſtoricum ejus elogium, quale exhibet Francicæ Academiæ per clariſſimum Joſ. Olivetæum ſcripta Hiſtoria, operæ pretium aliquod fore duxi ſi latinè legendum darem. Quod proximè ſubſequetur hujuſce operis prœmium vetus, ex quo ſcilicet intelligitur hanc primam fuiſſe illuſtriſſimi Auctoris ſententiam, ut diſputationem iſtam de Humanæ Mentis Imbecillitate cum ſuis Queſtionibus Alnetanis continuatam vellet.

DE



# DE VITA ET SCRIPTIS PETRI DANIELIS HUETII.

NAtus est Cadomi Petrus Daniel Huetius VI. Idus Febr. Anno M. DC. XXX. Insitum habuit a natura incredibilem quemdam studii amorem atque literarum, qui fandi rudem etiamnum, ac ludentem sub nutrice, mirum in modum cruciabat, si quem libro uti ad legendum videret: illum enim, qui id posset, felicem, se, quòd eâ careret facultate, sentiebat esse miserum.

Patrem necdum bimulus, matrem paulò quinquenni major amisit. Quo destitutus præsidio, tutelâ per agnatos negligentissimè administratâ, contubernio

mancipatus est ſtudiis parum opportuno, & ſociis adjunctus bonarum artium minimè ſtudioſis: humaniorum tamen literarum ſolemne curriculum intra annum ætatis tertium decimum, provehente conatus pueriles infinito diſcendi deſiderio, confecit.

In Philoſophia Doctore uſus eſt eximio, Petro Mambruno e Societate Jeſu, qui traditum ſibi diſcipulum ut efficeret qualem Plato exigebat, aliquâ primum Geometriæ notitiâ ſuſcepit imbuendum. Sciendi avidum juvenem ſic affecit ejus diſciplinæ ſemel deguſtatæ ſuavitas, ut in eâ totus reliqua ſtudia penè aſpernaretur, & Magiſtri dictata ſatis negligeret. Commodùm homo erat Mambrunus multarum optimarumque artium, qui neque contemni a tali diſcipulo poſſet, neque opinari ſe contem-

temtum. Sivit proinde animum ut expleret ſuum : atque mathematicas ille diſciplinas, quàm latè patent, univerſas ordine percurrit eo ſucceſſu, ut de omnibus earum partibus publicè reſponderit. Ejuſmodi diſputationis exemplum Cadomenſis non inerudita civitas hoc primum vidit. Nondum enim in hominum lucem atque frequentiam artes illæ venerant gymnaſiorum ferè ſeptis incluſæ, in quibus ſi habebant commendationem, habebant certè adhuc modicam.

E philoſophica palæſtra Huetium ad juris ſcientiam atque legum vocabat mos vulgo receptus; eò properabat maximè, cum duos in libros tum recentes forte incidit, Renati Carteſii Principia Philoſophiæ, & Samuelis Bocharti Geographiam Sacram: qui caſus animum ab utili ſtu-

dio ad amœniora traduxit.

Cartesianam philosophandi rationem, quam ævo maturus atque judicio acerbè adeò proscripsit, primùm adamavit perditè, diuque complexus est; sive rerum, ut videbatur, admirabilitate captus; sive, uti postmodum existimavit, specie illectus novitatis atque fuco. Mutant nimirum cùm ætate judicia: ne quis anteceptis opinionibus magnopere velit confidere, aut in sua ipse verba jurare.

In sacra Geographia eò commotus est magis, quod ad præstantiam operis, & inexhaustam sacræ & profanæ eruditionis congeriem, auctoris quoque accederet præsentia: erat tum Cadomi Bochartus Reformatorum Doctrinæ Minister. Librum vidit Huetius græcâ refertum atque hebraicâ literaturâ, ac simul

mul cupiditate exarsit utramque perdiscendi linguam; ad Bochartum adiit, auxilium, consilium expetens; applicuit se ad ejus familiaritatem; ei discipulum se tradidit; in quo tamen discipulo jam socium, brevi æmulum esset magister habiturus. Tantum vivo ac præsenti in exemplo est, ut bona se natura exerat; utque animosus tiro magna spectet, atque enitendo consequatur. Levibus in versiculis atque nugis consenuere robusta & promovendis nata doctrinis ingenia; Bochartum enim, in quem intuerentur, nullum habuere.

Non se tamen græcas Huetius hebraicasve in literas sic abdiderat, ut Timonis cujusdam ritu viveret, atque ab omnibus abhorreret, quæ illa fert ætas, vel ad remissionem animi, vel ad corporis exercitationem. Con-

ille regina advocante Christina suscepit mense Aprili M. DC.LII. at tempore non suo. Languorem contraxerat regina, febriculisque identidem tentabatur, æstuante ex immoderatione studiorum sanguine: quâ occasione usus callidè Burdelotius regiæ valetudinis curator, aulicarum ipse artium magis quàm liberalium disciplinarum sciens, ut sine sociis regnaret, omni librorum usu, ac literatorum colloquio Christinæ interdixerat. Secus ergo exceptus est Bochartus quàm hominem decebat ejus existimationis, tam longè, tam crebro efflagitatu accersitum.

Cum Huetio actum est humaniùs; non enim juvenem verebatur Burdelotius, ne reginam admiratione tantâ occuparet. Eum frequenti dignatum alloquio Christina ostentatis honorificis conditionibus retinere in

aula

aula voluit: at ille inconſtantiam veritus plusquam muliebrem, in conſilio perſtitit reditionis maturandæ. Deſcripſit tribus quos Holmiæ degit menſibus, Origenis opera quædam e græco veteri codice; quod viæ ac laboris pretium habuit.

In Hollandia cum alios literarum proceres, tum Claudium ſibi Salmaſium, qui eruditionis illic tenebat principatum, arctâ neceſſitudine devinxit. Hujus animum atque mores ſi quis e ſcriptis æſtimat, Salmaſium haud novit. Erat comis, urbanus, mitis; ad hæc mirè patiens, ut jugum ſibi a ſuâ Xantippe impoſitum non detrectaret. Gloriabatur imperioſa mulier maritum ſibi eſſe, non dominum; Nobilium eruditiſſimum, Eruditorum nobiliſſimum.

Redditus patriæ ac libris Huetius acriore impetu in ſtudia ſe

immerſit; atque ad Origenem, ut daret quàm ornatiſſimum curas ſuas omnes operamque contulit: non alio laboris laxamento quam quod duabus frequentandis doctorum hominum conſortionibus, Academias vocamus, hoc eſt, mutato identidem labore, ſibi indulgebat. Altera, quæ abſente eo coaluerat, intra humaniorum diſciplinarum ſepta ſe continebat. Alteri, quæ phyſicas complexa eſt, initium ipſe atque in ſuis ædibus domicilium dedit.

Vertenti latinè Origenem multa venere in mentem de hoc ſcribendi genere univerſo, & variis, quos celeberrimi quique auctores ſecuti ſunt, interpretandi modis; quæ ſtylo complexus, libros de Interpretatione duos confecit, atque ut periculum faceret auræ popularis, vulgi judicio permiſit. Una vox

eru-

eruditorum fuit immensam scriptoris eruditionem, sincerum & subtile judicium, tum latinitatis florem admirantium aureâ illâ Augusti ætate bonis quoque dicendi artificibus invidendum. Origenem denique, post annos sedecim quàm in Suecia descripserat, lauto instructum apparatu in lucem emisit. Id omne tempus egit in patria, libris unicè intentus, ab his non discedens, nisi quod Lutetiam, ad revisendos uno alterove mense amicos, quotannis excurrebat.

His illum latebris educere tentavit fortuna non semel; nunc evocante Christinâ Romam, quo rerum suarum, abdicato regno, sedem transtulerat; nunc accersentibus Suecici regni proceribus, ut regis sui in literis instituendi curam susciperet; ille inclementiam cœli borealis expertus,

pertus, & memor frigoris, quo perculsus olim Bochartus conciderat, utramque conditionem repudiavit. Habuit postmodum quod gratularetur fuisse patriam sibi & Holmiâ & Româ potiorem, Ludovico Franciæ Delphino Ludovici Magni filio studiorum moderator sub Jacobo Benigno Bossueto datus. Eò sua illum virtus, & Caroli Montauserii judicium provexit.

In aula decennium exegit, donec anno M. DC. LXXX. Delphino uxor duceretur. Primùm illuc appulsus intellexit continuo in illis fluctibus & crebra jactatione magnam se jacturam temporis esse facturum; quo diligentiorem ei parsimoniam adhibere constituit. Sic vita erat; somno vix paucas ac breves horas, dies instituendo principi, noctes elucubrando Evangelicæ Demonstrationis operi

dare;

dare; quod opus in illo tumultu & inchoatum est & perfectum.

Notum est satis plerosque tum scriptores; qui vulgo Classici appellantur, interpretatione & notis in usum Delphini, atquè indicibus, qui vocabula omnia universè repræsentant, succinctos prodiisse. Non ignorandum, in hoc incœpto magnas Huetii fuisse partes; id enim opus auctore quidem Montauserio, tamen procuratore interim Huetio ac moderatore peractum est. Vellent qui literas amant, operarios ei contigisse omnes vel satis dociles, vel magis peritos.

Hactenus studiorum summam; quà legendo, quà scribendo, ad religionis Christianæ vel ornamentum vel tutelam retulerat, annum denique sextum agens & quadragesimum illigari se sacris ordinibus voluit; mox-

que

que Alnetanæ Abbatiæ fiduciario jure præfectus est. Illic in saluberrimo totius Normanniæ tractu secessum nactus ad invidiam amœnum, postquam aulicæ functionis jugo exemtus est, inter librorum ac ruris delicias assiduè æstivavit. Inde & alia quædam, & *Alnetanæ* prodiere *quæstiones*, quarum titulus Alnetum Tusculo in memoria posteritatis æquabit.

Designatus est anno M. DC. LXXXV. Suessionensis Episcopus. Graves intercedebant tum controversiæ curiam inter Romanam & Francicam, exaruerat pontificiarum literarum proventus omnis atque concessio: dum inanem episcopatus Suessionensis titulum gerit, ad Abrincensem promotus est Fabius Brulartius Sillerius; utque in patria uterque esset, impetratâ a rege facultate, episcopatum utrum-

que

que inter se permutavere. Compositis demum Romam inter & Galliam rebus, solemni ritu consecrati sunt. Exspectavit, credo, non impatienter Huetius dum adesset dies qui onus tantum imponeret non assueto, & pristinam vitæ rationem conturbaret universam. Munus quidem octavo postquam susceperat anno abdicavit, rege non nolente, qui Fontanetensi ipsum abbatiæ præfecit. Fontanetum Cadomo finitimum ac ferè suburbanum est. Fontanetum amavit homo patriæ amans præter cæteros: itaque ad sarciendas ædes, ad excolendos hortos animum adjecit, ut qui portum senectutis reperisse sibi videretur; evenit perincommodè ut fundi lites generarent, quibus tandem fatigatus, quamlibet pragmaticarum artium neque rudis, neque osor, stationem,

quam

quam in patria non invenerat, Lutetiæ quæsiit.

Habitavit apud Patres Societatis Jesu viâ Antonianâ, & vitæ reliquum, annos viginti, scribendis in sacros utriusque fœderis libros Notationibus insumsit. In iis enim libris non solum religionis fontes aiebat esse, sed etiam eruditionis; neque digniores alios in quibus suam homo eruditus curam atque industriam exerceret: eos omnes hebraicè conscriptos, quater & vicies a capite ad calcem perlegerat jam anno M. DCC. XIV. adhibitis Rabbinorum scriptis, orientaliumque interpretationibus; ac per continuos triginta annos nullus abierat dies quin duas tresve horas huic studio impendisset.

Anno M. DCC. XII. morbus eum invasit gravissimus, ac lecto sex prope menses acerbis

vexa-

vexatum cruciatibus affixit; qua ex ægrotatione magna debilitas eſt ſecuta non quidem ingenii, ſed corporis atque memoriæ. Recuperatis utcunque viribus, animum ſtatim ad rerum ſuarum narrationem appulit, quam ſex libris exſecutus eſt, pari ac cætera omnia ſermonis elegantia atque ſtyli; non pari cohærentia rerum & concinnitate ordinis, ob eam, quam dixi, memoriæ debilitationem: longis proinde continuatisque ſcriptionibus quum in dies minùs ſufficeret, Huetiana ſcriptitavit; quæ ego meæ fidei ab auctore commiſſa in lucem ut exirent effeci: non enim aliâ conditione acceperam, quàm ut publico darem.

Locus hic erat non diſſimulandi, quâ me benignitate, poſtquam in ejus notitiam veni anno M. DCC. VIII. fit in poſterum

terum constanter prosecutus. Quamquam vereor ut sit tutius invidiam, ut multi solent, desertione officii placare; quandoquidem in commemorandis illustrium hominum amicitiis, quæ aliis grati ac memoris animi testificatio, aliis videri jactantia potest. Infitiari nolim tamen, meâ operâ curatam esse quintam ejus Carminum editionem, anno M.DCC.IX. absque ea quasi nova parturitione fuisset, non haberent, opinor, quos ejusmodi juvant deliciæ, novas quinque Eclogas, quibus canendis Musam diù tacentem suscitavit; ostenditque ingenii florem atque orationis, neque studiorum neque ævi senio marcuisse.

Porrò, ut nonnullos eruditorum, etsi oppido paucos, nominare fortasse liceat, qui fuerint Huetio vivaciores; nemi-

nem

nem certè qui ſtudio plus impenderit temporis vixiſſe unquam arbitror: Sic enim rationem puto mecum: vivendo ſæculum vix non explevit; literas attigit maturè; raras habuit interpellationes vel negotiorum, vel invaletudinis; in ſomno conciliando, ſtatim a ſomno, quum ſumeret veſtes, quum deponeret, quum accumberet menſæ & corpus reficeret, præſtò erant pueri anagnoſtæ; demum quod ipſe alicubi de ſe teſtatus eſt, nulla earum rerum fuit quibus duci homines maximè ſolent, quæ infinitum eruditionis comparandæ, atque, ut apellat, indomabile deſiderium vel compreſſerit aliquando, vel retardarit.

Corpus erat robuſtum; victus apprimè frugi; poſt annum ætatis quadrageſimum cœna nulla; prandium non ſaturum, ci-

bus parabilis, nihil condimentorum; potus aqua vino parcè tincta, neque ultra sescuncem; stomachum Lormianâ * sorbitione fovebat sub vesperam. Vultu, etiam quum valebat optimè, albo erat supra modum semper ac pallido, ita ut morbi suspicione nunquam careret.

Quod memorabile est, tertio antequam obiret die, visus est reviviscere quodammodo, ac sibi totus reddi: nulla pars pretiosi temporis frustra effluxit, aut pietatis fructu vacua; donec die 26 Januarii M. DCC. XXI. placidâ & Christianâ morte defunctus est.

Scripta ejus nondum publicæ luci permissa, quæ quidem ego norim, hæc sunt. 1. Longi Sophistæ græci Pastoralia latino sermone reddita, quum vitæ annum

* Bouillon rouge du Medecin de Lorme.

annum ageret decimum octavum. 2. Hiſtoria fabularis ac ludicra, vernaculè ſcripta, quum ageret annum quintum ac viceſimum. 3. Philoſophica de Humanæ Mentis Imbecillitate lucubratio, ejuſdem fœturæ ac Alnetanæ queſtiones. 4. Reſponſio Petro Sylvano Regiſio de Carteſii Metaphyſica. 5. Adnotata ad Vulgatam, ut vocant, ſacrorum codicum editionem. 6. Epiſtolæ complures, ferè ad ſexcentas, viris doctrinâ inſignibus miſſæ, quà latinæ, quà vernaculæ.

## APPENDIX.

*Huetianis* dudum hoc auctoris Elogium præfixeram; ac pro hiſtorici officio, quum opera ejus nondum edita recenſerem, Philoſophicam de Humanæ Mentis Imbecillitate lucubra-

tionem commemoraveram: idonea haec ſcilicet cauſa viſa eſt non nemini e Diariorum ſcriptoribus, ut quam primum in lucem ea prodiit lucubratio, dicam mihi, uti vel auctori, vel approbatori, ſcriberet. Sed in illa criminatione quidquid eſt quod ad meam privatim injuriam pertinet, non invitus ignoſco; quod ad Huetium ſpectat, hoc unum video. Quid enim? omnis ejus doctrina, præſenti, inquam, opuſculo explicata, tribus admodum pronunciatis concluditur.

I. Fides, quam Dei ſolius ope conſequimur, id habet maximè proprium ut nulli ſit errori obnoxia.

2. Humana ratio nullum ex ſe ſuiſque viribus præſidium habet veritatis * clariſſimè firmisſime-

* (*Animadverſio Interpretis.*) Hæc *Clariſſimè, firmiſſimè*, prætermiſerat ſcrip-

ſimeque percipiendæ.

3. Ubicumque diſſidium apparet rationis atque fidei, omittenda illa eſt, hæc audienda.

Primum e tribus illis perſtringit auctor ſatis leviter, eſt enim plenè atque apparatè pertractatum in Demonſtratione Evangelica. Tertium cum duobus aliis neceſſitate conjunctum eſt. In ſecundo erat operæ pretium, in eo pedem fixit. Quamquam qui opuſculum excuſſerit deprehendet, ſcriptorem vix aliud ſibi diſſe-

tor Appendicis, quæ in ſuum ego locum revocanda eſſe exiſtimavi; ea ſanè inculcat ubique Huetius, neque ad rem faciunt nihil. Non facit Huetius incerta omnia, ut plerique opinantur; etſi enim fides divina certum magis reddit quam humana ratio: non tamen hæc non reddit certum; in rebus nudâ ratione perceptis non eſt is gradus perfectæ certitudinis, quem habet notitia rerum fide cognitarum; at eſt nihilominus in quibusdam *certitudo* ſumma. L. I. Cap. I. n. 7.

diſſe negotii, quàm ut veterum argumenta ac reperta diſponeret ordine atque explicaret.

Equidem quum tantum Huetiano nomini tribuam quantum qui plurimum, infitias non ivero tamen, in ſecundo illo pronuntiato, maximè ſi ad res fide credendas illud conferas; eſſe quod angat non parum: ſi enim neque ſenſibus capi ulla rerum certa cognitio, neque attingi ratione poteſt, frangi neceſſe eſt ac debilitari quæ vulgo appellantur *motiva credibilitatis*, ea nimirum argumenta quæ res ad credendum propoſitas faciunt evidenter † credibiles. Quod ego

† (*Animadverſio Interpretis.*) Sit ab erudito Elogii ſcriptore venia, ſi huic ego cenſuræ non accedo; cauſam hanc habeo diſſentiendi: Ut de re qualibet inſtitui poteſt gemina quæſtio; prior, an ſit; poſterior, quid ſit; ita rei cujuſlibet gemina cognitio eſt; altera popularis atque expoſita, quâ certus ſis rem extare;

ego jam diu ante † significaveram quàm Huetiana lucubratio quæstionem hanc induceret, scripseramque, homini bene Christiano, ac retinendi hujus nominis non incurioso, sectas omnes quæ dubitandi artem profitentur, fore merito suspectas; ut qui sciat quantum sit in re-
bus

extare; altera reconditior ac philosophica, quâ rei ipsius vim omnem naturamque videas. In illis, de quibus agitur, *motivis* sufficit, neque id quisquam non fatetur, popularis cognitio; rursum Huetii universa disputatio de Philosophicâ rerum notitiâ est. Id si observatum discrimen foret, in hoc libello, qui mentibus refractariis nimiumque Philosophis fidei præparandis elaboratus ab auctore fuerat, neque sperassent increduli latere subsidium aliquod suæ temeritatis ac pervicaciæ; neque tanta esset tempestas excitata.

† In ejus scilicet erudita commentatione *de Theologia Græcorum Philosophorum*, ubi *de Democrito*: quam commentationem subjunxit Libris Ciceronis *de Natura Deorum*.

bus ope ſenſuum perceptis momentum ad fidem. Verumtamen quod nobis, mihi, inquam, ac reprehenſori illi meo, mihi probanda videatur opinio fortasſe aliqua, non continuo peſtifera eſt & proborum omnium odio digna: præſertim verò ſi aſſertores ac defenſores nacta ſit noſtrûm utroque meliores, theologicisque commentationibus magis exercitatos.

Jam autem hujus, quâ de agitur, ſententiæ aſſertor quis eſt? Homo in ſacro antiſtitum ordine tum doctrinâ tum virtute commendabilis. Atenim illuſerat vana ſpecies ad tempus, quam meliùs, ut fit, cognitam animo expuit. Imo ſcitum illud de Humanæ Mentis Imbecillitate ſuam in ipſo Evangelicæ * De-

* Præfat. Num. IV. ubi hæc leguntur: *Duplex eſt via, per quam in animos noſtros illabitur cognitio rerum; alia ſen-*

Demonſtrationis aditu aperte expoſuit; Alnetanis diſputationibus † tamquam fundamentum præſtruxit, ſingulari opuſculo explicavit, quod opusculum jam anno M. DC. LXXXVI. prælo paratum promittebatur ‡ atque exſpectabatur.

Venit in lucem denique: Nulluſne alicujus nominis probatæque Doctrinæ theologus approbator acceſſit? Enimverò plures. E ſocietate quidem Je-ſu

*ſuam ac rationis, alia fidei: obſcura illa, anceps & fallax, ad veri notitiam malefida & intuta, infinitis obſepta Philoſophorum tricis & quæſtionibus; clara hæc, &c.*

† In anteceſſione, num. III. *Primum igitur adducenda in notitiam ſui Ratio eſt, ſuæque imbecillitatis & obſcuritatis coarguenda. Jam inde enim ſe tenebris undique obſeptam agnoſcens, iiſque expedire ſe ſatagens, nec aliunde beneficium hoc expectans, quam à fide, in ejus demum ditione ſe permittet.*

‡ *Nouvelles de la Republ. des Lettres.* Art. VI. Mai 1686.

ſu vir * eruditione & ſcriptis pro defendenda atque ornanda religione celebris, ac Romæ non ita pridem librorum cenſor, perlecto Huetii libro, nihil in eo deprehendiſſe affirmavit quod non cum veterum patrum dictis ſcitiſque conſentiat.

Jam quid æquum eſt facere me atque illum opificem Diariorum, ſi quando homines ſpectatâ virtute ac doctrinâ præcellentes videmus non in eadem nobiſcum eſſe ſententia? Quid? Meminerimus modeſtè circumſpectoque judicio de talibus viris & loquendum eſſe nobis & ſentiendum; præſertim ſi res ſit ejuſmodi quæ non eadem omnibus, ſed aliis aliam ſpeciem ſui atque imaginem objiciat: manebimus,

* P. Baltus, cujus erudita de hoc argumento ſive diſſertatio, ſive Epiſtola exſtat tom. 1. operis cui titulus: *Memoires de Litterature & d'Hiſtoire.*

bimus, esto, in antecepta sententia, quoniam & recta est, & verior alterâ nobis videtur ac tutior: partem, si lubet, alteram impugnabimus, adhibitâ tamen æquitate illa ac moderatione, quæ rationis socia est, & amica veritatis.

Nunc acerbè & contumeliosè in hominem invehi bene de literis ac religione meritum; Huetium ita traducere, ut Bodinum aliquem aut Spinozam, hoccine est humanum factum, an facinus cui expiando haud scio an satis sit supplicare deo pro venia, nisi publicè recantando abolere quod in publicam labem emanavit, pro virili satagas?

An læsæ fidei suspicione Demonstratorem Evangelicæ veritatis aspergi? Quid mereat impietas ut conjecti in hostem suum tanti dedecoris fructu careat? Non triumphabit in eo

tamen: abundè habet hominum Lutetia qui Huetium quum viderint sæpe, & intimè noverint, audiri de laudatissimi præsulis integritate atque innocentia possint: sciunt nihil eo fuisse continentius, nihil ab illis, quæ impietatem ducunt, vel sequuntur, vitiis remotius; ævum omne inter libros, & studiorum assiduos labores, pro religionis deique causa, inque sacri codicis meditatione esse consumtum. Nullus iit festus Dominicusve dies, quo non operaretur sacris, Catholico prius ritu expiatus; quotidianum precandi officium, una cum sacerdote, quem antistes habebat a sacris domesticis, piè statisque horis persolvebat. Addam hoc quoque, quamquam levius videri sanè potest, sed non omittam tamen, quoniam quæ ad cultum pietatis atti-
nent,

nenit, ut sint in se minima, æstimationem habent in hominibus ingenio ac famâ præcellentibus maximam: communem illam precum seriem, quam alii Coronam, alii Rosarium vocant, tripartito divisam quotidie evolvebat, ac partem mane, partem meridie, tertiam vespere exsequebatur, sono admonitus æris campani, quo repetendæ salutationis Angelicæ signum datur. Tales quidem esse non videmus eos qui religionis fundamenta convellunt, & artem docent nihil credendi.

Quod superest, hoc quidquid est, veritati, non amicitiæ dedi. Laudare nolui; quid enim mea laudatione opus est homini supra laudem magno? Id volui tantum, ut qualem novi ego vidique Huetium, talem nossent literati ac probi;

commodum unâ eâdem operâ & religioſi teſtis, & hominis non ingrati, & amici fidelis officio ſum perfunctus.



# INDEX
## partium hujus Operis.

VIII.


9. *Xe-*

50. Ma-

3. *Er-*



## LIBER SECUNDUS.



## LIBER TERTIUS.



DE



# DE IMBECILLITATE MENTIS HUMANÆ.

*Ad Philoſophos contubernales.*

## PRÆFATIO.

ACcipite, Optimi Viri, non meam de mentis humanæ & rationis natura atque vi ſententiam, ſed quam mihi traditam eſſe memini ab erudito quodam homine, acuto ſane ac ſubtili, ac priſcæ omnis Philoſophiæ & recentis valdè perito. Is apud Salyos Gallo-Ligures honeſtiſſimo loco natus, multas florente ætate peragraverat regiones, ſtudiorum cauſa: nec inſalutatum prætermiſerat quemquam Sapientiæ profeſſione clarum: adeptus deinde ampliſſimum inter ſuos dignitatis gradum, jam prope ſenex adverſo fortunæ reflantis caſu perculſus eſt; ſolumque vertere

coactus Patavium venit, amœnissimum Musarum domicilium, quam mihi studiorum sedem delegeram. Officiose ille ad me adiit pro more veteri, non tamquam ad Philosophiæ studiosum, qualem scilicet cognoverat ex quibusdam commentariolis, quæ jam tum mihi exciderant, vel quos prælo paratos habebam. Cepit me illico solers hominis ingenium, tum præstans eruditio liberali quodam candore conjuncta. Delinitus is vicissim hac, quâ ventitantem ad me excipere solebam, comitate, & similitudine studiorum, animum mihi suum penitus aperuit. Posteaquam enim animadverti Sectas singulas veteris ac novæ Philosophiæ acriter ab eo oppugnari, more Academicorum, nullam defendi; neque ullâ arte ullave percontatione sententiam ejus erui posse; percussit id animum, & decurri denique ad preces, serioque orare cœpi, evolveret se ex hac dissimulatione, & apertè mecum ageret. Quid plura? crebra tandem & diuturna obtestatio sapientiam ei omnem expecto-

pectoravit ex animo, (liceat enim in dissimili caussa abuti verbis Ennii) longoque usu ac meditatione insitam de Philosophia opinionem extorsit. Hanc disputationem, quoniam & valde acuta mihi visa est, & penitus abhorrens a Philosophia communi, mandavi memoriæ, animi tantum caussâ, non ut aliquando in apertum referrem. Sic igitur ille est locutus.

Cum primum ad Philosophiæ studia me contuli, nondum adolescens, valde me offendit perpetuus ille conflictus, deque omnibus numquam intermissa disputatio; delusumque me putabam à Magistris, qui veritatis notitiam ac animi tranquillitatem polliciti, medias me in tempestates, merasque tenebras conjecissent. Cum essem autem in Lycei septis eductus, dolebam ne Peripateticis quidem inter se convenire, & ex unius Aristotelis Doctrina tot exstare controversias, quæ erumperent plerumque in jurgia; tot succrevisse pugnantes inter se Græcorum, Arabum & Latinorum interpretationes; tot veterum & novitiorum.

Mirabar cæcitatem mentis humanæ: cum enim veteres Philoſophos, vel ſtultos vel glorioſos eſſe jactaſſet Ariſtoteles, ut à Cicerone traditum eſt, qui Philoſophiam ingeniis ſuis perfectam exiſtimaſſent, ſed ſe videre brevi eam tempore abſolutum iri; tantum abeſſe eam agnoſcebam ab hac abſolutione, ut mirarer potius quæſtiones ſeri ex quæſtionibus, & diuturnitatem temporis quæ modum cæteris affert, novas in dies belli cauſſas ſubminiſtrare; ut non tam indagatio veritatis, quam ſubtiliter & acute litigandi exercitatio videretur. Ac profecto optabam nonnunquam idem a ſpectato aliquo viro fieri, quod à Gellio Proconſule factum acceperam; qui cum Athenas veniſſet, Philoſophos omnes, quicumque illic erant, ad ſe vocatos magnopere cohortatus eſt, ut altercari aliquando tandem deſinerent, & deſcenderent ad æquas pacis conditiones; ſe præſto illis futurum, ſi res poſſet quoquo modo convenire. Deriſum id ſæpe eſt à multis, non item à me: conveniſſet enim res, ſi decreta ſua ſinguli, quæ contumaciter defen-

de-

dere inſtituerant, revocaſſent in dubium, & retractaſſent; & jam inde pertinacia omni depoſita, nihil affirmare, & aſſenſum in omnibus retinere cœpiſſent. Placuiſſet quoque quod factum legeram a Nerone, cum tempus impendebat Philoſophis, ut Dogmaticorum contraria aſſeverantium diſcordias cognoſceret; ſi veri rectique ſtudio id feciſſet, non per procacis ingenii levitatem; ut componeret controverſias, non ut per deridiculum foveret. Magna vero deinde fuit Carteſianæ doctrinæ exiſtimatio; quæ cum novitate ſua, uti fit, multos ad ſe alliceret, futurum augurabantur plerique ut propediem deſereretur Ariſtoteles, ſolus Carteſius regnaret. Hanc ego, diſcordiæ Peripateticorum pertæſus, cum avide arripuiſſem, magnopere ſane mihi placita eſt; quippe ex ſimpliciſſimis & pauciſſimis profecta principiis, plana, facili, & expeditâ viâ mihi ad rerum cauſſas penetrare videbatur. Nec multo poſt tamen intellexi, neque de gradu ſuo dejectos eſſe Peripateticos, & ad-

versus Cartesium consurgere viro pereruditos, ac Gassendum imprimis, qui & Cartesii oppugnaret disciplinam, & Epicuri sectam, vulgo licet odiosam, & impietatis suspectam, feliciter renovaret. Verum & hanc quoque plures cognovi adversarios, quam propugnatores peperisse. Quamobrem transii ad Platonem. Sic enim audiveram, eum cognomine divinum esse dictum, magnamque ejus fuisse olim admirabilitatem, & priscos Ecclesiæ Patres propemodum omnes ejus sententiis Christianam Doctrinam condivisse. Verum qui certi quærebam aliquid, nihil in eo reperi, cui posset animus insistere; non fixa aliqua & rata principia; non aptam ex iis, consertamque, ac cohærentem disciplinam; acuta omnia, omnia subtiliter & eleganter tractata; sed disputata in utramque partem: tum & varias ex hac una enatas sectas, dum unaquæque mere Platonicam se jactat, reliquas adulteratas: adeo ut perlectis Platonis Platonicorumque aliquot operibus, de rerum veritate incer-

tior eſſem multo quam dudum. Tum igitur ne qua mihi ignota eſſet & inacceſſa antiquæ Philoſophiæ pars, veterum Philoſophorum ſententias collegi undecumque, & Diogenis Laërtii opus, aliaque hujusmodi, quibus vitæ eorum & placita continerentur, legi ſtudioſè; futurum ratus, ut in tot ſectis Philoſophorum, quantumvis ſpretis & abjectis, aliqua fortaſſe occurreret minus opportuna contradictionibus, & ad animi fluctus ſedandos aptior. Nec me ſpes fefellit: mirifice enimvero mihi probata eſt Arceſilæ, Carneadis, & Pyrrhonis ratio: iique ſane mentis humanæ naturam longe acutius perſpexiſſe viſi ſunt, quàm cæteri omnes. Etſi nonnulla quoque ſunt, in quibus minime nobis probata eſt eorum ratio, atque his identidem relictis nobis ipſi ſæpè philoſophandi auctores fuimus. Ad hæc cum diuturni temporis acceſſiſſet uſus & meditatio, jam mihimet notior factus, in ea opinione plane confirmatus ſum, nullam eſſe vel in me, vel in quovis homine nativam facultatem, qua veri notitia

certissime clarissimeque percipi possit; errorumque omnium fontem esse assensionum levitatem. Hæc cum dixisset eruditus ille vir, atque ego valde mirarer, minime suspicatus fractam jamdiu & explosam doctrinam à tali viro revocatum iri, Miraris, inquit, confidentiam meam, qui res ausim proferre à vulgi opinionibus adeo alienas; vel diffidentiam potius & hæsitationem, qui ab illustribus & perspicuis rebus assensum cohibeam; sed si ex me audire perges quæ dicturus sum, tantum spero de bonitate ingenii tui, & animi candore, ut mireris contra temeritatem & inconsiderantiam hominum, qui ea videre se putant, quæ non vident, & in errorem præcipites ruunt. Audiam vero, inquam, & attente: atque utinam re id præstes, quod spondes verbis. Quibus dictis sic ille incipit.

Ne temere vagetur hæc disputatio, certisque concludatur terminis, trifariam distribuenda est: ac probandum ante omnia veritatem ab humana mente firmissime

clarissimeque cognosci non posse: accurate deinde explicandum quænam tutissima videatur ac legitima philosophandi ratio: refellenda demum argumenta adversariorum.

---

## LIBER PRIMUS.

*Veritas ab humana mente per rationem firmissime clarissimeque cognosci non potest.*

### I.

HUmanæ mentis & rationis infirmitatem demonstraturo vastissimus primum se aperit campus: nec Academicorum dumtaxat & Scepticorum, sed Philosophorum prope omnium solo tritus, atque in primo Philosophiæ totius aditu positus, in quo de vero, verique natura & inquisitione dimicandum est; Præpostere enim agat qui veritatem studeat percipere; an percipi possit, non quærat.

1 Nam cum nihil aliud sit Philosophia quam studium Sapientiæ, sive investigatio veri, sive conatus

humanæ mentis in aſſequenda per rationem veritate; veritatem prius, & rationem, ac mentem Philoſophus cognoſcat neceſſe eſt, & veritatem a mente per rationem poſſe comprehendi ſciat, quam magnos excipiat labores in eo perſequendo, quod numquam aſſequatur. Ut venator, cum ad ſectandam feram ſe accinxerit, ſi inacceſſas interjacere rupes, aut profundas voragines intelligat, ab inani hac conſectatione abſtineat. Conemur igitur explorare naturam Veri, Rationis, Mentiſque noſtræ, quoad ejus fieri poterit: nec enim ita inſanimus, ut qui nihil per rationem firmiſſime clariſſimeque cognoſci poſſe dicamus, veritatem ipſam, mentemque noſtram firme clareque ſperemus cognoſcere.

2. Mentem itaque humanam definio, Principium, ſive facultatem, ſive vim homini innatam, quæ per ſuſceptionem & impreſſionem ſpecierum in cerebro movetur ad fingendas ideas, & ad cogitandum. Species nunc dico, non ſimulacra illa, ſive imagines à corporibus fluen-

fluentes, quæ & ſpecies appellantur; ſed ductus cerebro impreſſos per motum ſpirituum & nervorum, poſtquam excitati ſunt à ſenſuum inſtrumentis extrinſecus impulſis: per quam impreſſionem fit ut cerebro adjunctus intime animus certo quodam modo afficiatur.

3. Appello ideam, ſimulacrum quod ſibi ipſe fingit animus certo quodam modo affectus ex impreſſione ſpecierum in cerebro.

4. Appello cogitationem, actionem mentis per ſpecierum ſuſceptionem in cerebro; motæ ad ideas fingendas & inter ſe comparandas, & judicia de iis facienda.

5. Rationem dico, facultatem noſtræ mentis quæ veritatem per naturales ſuas operationes nititur cognoſcere.

6. Veritatis hanc damus definitionem, (ejus nempe, non quæ à Philoſophis exiſtentiæ nuncupatur, ſed quæ judicii) conſenſio & convenientia judicii, quod mens facit ex intuitu ideæ quæ in nobis eſt, cum re extrinſecus objecta, unde idea illa proficiſcitur. Res extrin-

ſecus objecta eſto Lupus, cujus idea in me eſt. Mens ex intuitu ideæ illius judicat eſſe Lupum. Judicium illud quod mens facit, conſentit cum re objecta, proptereaque dicitur verum; conſenſio autem judicii illius cum re extrinſecus objecta dicitur Veritas. Contra ſi mens ex intuitu ideæ hujus judicat eſſe canem, judicium illud diſſentit à re extrinſecus objecta, & dicitur falſum; diſſenſio, falſitas ſive error. Objectam rem dico extrinſecus, ſive quæ tum adeſt, cum mens ad cogitandum de ea impellitur; ſive quæ aliquando adfuit, ſuique ideam in nobis expreſſit; ſive viſam nobis ipſius imaginem, ſive auditam nobis ex aliena commemoratione ejus deſcriptionem: unde plurima videntur furioſis & dormientibus, plurima etiam depingimus cogitatione, quæ præſentia non ſunt ipſa quidem, ſed eorum impreſſæ in nobis ſpecies inhærent. Hæc porro omnia alii aliter definiunt; alias quidam notiones hic vocabulis affingunt. Nos iis utemur quas propoſuimus. Ergo

go ſi ita Natura comparatum eſt, ut per Rationem firmiſſime clariſſimeque cognoſcere non poſſit homo externam hanc rem conſentire cum judicio a mente ſua facto ex intuitu ideæ rei hujus, fatendum omnino eſt hominem per Rationem non poſſe verum firmiſſime clariſſimeque cognoſcere.

7. Veri porro cognoſcendi duplex eſt modus. Nam vel cognoſcitur dubitanter & incerto, ut cum Luna à Viatore, juxta Poetam, aut videtur, aut videri putatur: vel cognoſcitur certo. At *certitudinis* hujus (patere iſtam barbariem) geminus quoque eſt modus. Alia eſt enim *certitudo*, quâ res cognoſcuntur in Cælo à Beatis, qui ſummus *certitudinis* gradus merito dicendus eſt; alia *certitudo*, quâ res cognoſcuntur in terris ab hominibus. Rurſum duplex id genus poſtremæ iſtius *certitudinis*: nam res à Deo revelatas per Fidem cognoſcimus ac credimus certiſſimo, eâ nempe *certitudine*, quam divinam poſſis dicere, quippe cujus auctor eſt Deus, reliqua cognoſcimus *cer-*

*titudine* humanâ ; cujus item diversi sunt gradus. Alia enim aliis certius cognoscimus : certius clariusque scimus totum esse majus sua parte, quàm Saturnum esse altiorem Jove, quàm verum esse quod duo testes oculati affirmant. Probabile hoc est, certum istud, illud certissimum. Atque hi tres sunt *certitudinis* humanæ gradus, supremus, medius, infimus ; quorum unusquisque rursum intendi potest ac remitti. Ejusdem humanæ *certitudinis* alia duo sunt genera; hoc physicum dicas, illud morale. Certo scio bis bina efficere quatuor, æqualia esse inter se corpora duo, quæ tertio alicui æqualia sunt: certo item scio urbem esse ad Bosphorum Thracium, quæ Constantinopolis appellatur; exstitisse apud Romanos Imperatorem, cui cognomen Augusto fuit ; igne uri res admotas, glacie refrigerari. Priora illa per vim quandam mihi innatam, nempe per naturale lumen, certo cognosco , posteriora hæc idoneis testimoniis, auctore usu, magistra experientia, quæ moribus hominum certam ha-
bent

bent fidem ac momentum. Ex his intelligis quam varia ſit & multiplex *certitudo*, animis noſtris a Deo hominis conditore conceſſa, dum vitæ hujus uſuram habemus. *Certitudo* illa divina qua res per fidem cognoſcimus, etſi certiſſima eſt, minime tamen vel ob firmitudinem, vel ob evidentiam cæleſti illi *certitudini æquiparandam* eſſe pronuntiat (1) Paulus auctor locuples; cum nos aït *videre nunc per ſpeculum in ænigmate*, Beatos in Cælis *facie ad faciem*; ſe nunc cognoſcere ex parte, tunc ſe cogniturum *ſicuti & cognitus eſt*. Rurſum *certitudo* illa Fidei à Deo auctore profecta, quâ nunc fruimur, longe præſtat *certitudini* humanæ etiam ſupremi gradus, ſive Rationis præſidio parta ſit, ſive ſenſuum. Quamobrem vere dictum eſt (2) a Chryſoſtomo, niſi res per Fidem cognitas certiores habeamus rebus quas uſurpemus ſenſibus; Fide nos carere. Cum ergo ſupremus *certitudinis* humanæ gradus, puta quâ prima principia & axiomata geometrica certa habeo, longe infra *certi-*

(1) 1. Corinth. XIII, 9. 12.

(2) Chryſ. Homil. 21. in Epiſt. ad Hebr.

*titudinem* Fidei positus sit; *Certitudo* autem Beatorum longe præstet *certitudini Fidei*; liquet utique supremum *Certitudinis* humanæ gradum perfectum non esse: nam quod perfectum est, omnibus est absolutum numeris, nec deest illi quidquam ad summam perfectionem; deest autem *certitudini* humanæ id quo superatur a *certitudine* Fidei, & id quo *certitudo* Fidei superatur à *certitudine* Beatorum. Cum igitur dicimus Verum ab homine certò cognosci non posse, sic accipito, certò cognosci non posse suprema illa *certitudine* & absoluta, cui nihil omnino ad summam perfectionem desit; at cognosci certò posse *certitudine* ista humana, ad quam nativis viribus pervenire posse humanam mentem voluit Deus, quamdiu corpore mortali conjuncta est. Hac *certitudine* cum nihil firmius habeat humana mens, quo nitatur, summam *certitudinem* humanam recte appelles; licet perfectissima non sit, nec veritas ab homine Naturæ tantum viribus subnixo firmissime clarissimeque cognosci possit. Fidei autem ope cognosci certissime potest

teſt, licet *per ſpeculum in ænigmate:* nam quod ad certiſſimam notitiam naturæ noſtræ deſit, id gratia ſupplet per fidem; confirmat Rationis ac ſenſuum imbecillitatem, diſpellit tenebras dubitationum, & nutantem animum confirmat. Verum hæc fuſius mox diſſeremus.

II.

QUod priuſquam ex rebus ipſis oſtendimus, ſuffragatorem demus Deum ipſum, qui inſcitiæ noſtræ nos in libris ſacris ſæpius commonefacit, fruſtraque homines in rerum comparanda notitia cognoſcendiſque cauſſis ſe torquere docet; atque ita à Natura confictum eſſe hominem, ut nullum ex ſtudiis ſuis ſcientiæ fructum ferre poſſit. *Appoſui* (1) *cor meum*, inquit auctore Deo hominum omnium ſapientiſſimus Salomo, *ut ſcirem ſcientiam*, *& intelligerem diſtenſionem quæ verſatur in terra: eſt homo qui diebus & noctibus ſomnum non capit oculis: & intellexi, quod omnium operum Dei nullam poſſit homo invenire rationem, eorum quæ fiant ſub ſole*

(1) Eccl. VIII, 16. 17.

*ſole; & quanto plus laboraverit ad quærendum, tanto minus inveniat. Eſtiamſi dixerit ſapiens ſe noſſe, non poterit reperire.* Cauſſam vero tantæ imbecillitatis confert in corpus, cujus mole quamdiu animus tenebitur, velut humi afflictus & oppreſſus, ad rerum capeſſendam cognitionem numquam ſe attollet. Aït enim: *Corpus* (1) *quod corrumpitur aggravat animam, & terrena inhabitatio deprimit ſenſum multa cogitantem; & difficile æſtimamus quæ in terra ſunt; & quæ in proſpectu ſunt invenimus cum labore. Quæ autem in cælis ſunt quis inveſtigabit? Senſum autem tuum quis ſciet, niſi Tu dederis Sapientiam, & miſeris ſpiritum ſanctum tuum de Altiſſimis?* Atque inſanam hanc & infinitam diſcendi libidinem, quæ nobis innata eſt, declarat a Deo eſſe homini inditam, velut pruriginem quamdam & ſcabiem, quâ tentatus miſere ardeat, & fruſtra crucietur. *Vide* (2), inquit, *afflictionem quam dedit Deus filiis hominum, ut diſtendantur in ea. Cuncta fecit bona in tempore ſuo, & mundum tradidit diſ-*

(1) Sap. IX, 15. & ſeq.

(2) Eccl. III. 10. 11.

*diſputationi eorum, ut non inveniat homo opus, quod operatus eſt Deus ab initio uſque ad finem.* Hinc iſta Eccleſiaſtici, quæ ex Salomonis Scriptionibus videntur excerpta. *Altiora* (1) *te ne quæſieris, & fortiora te ne ſcrutatus fueris: ſed quæ præcepit tibi Deus, illa cogita ſemper, & in pluribus operibus ejus ne fueris curioſus. Non eſt enim tibi neceſſarium ea quæ abſcondita ſunt videre oculis tuis. In ſupervacuis rebus noli ſcrutari multipliciter, & in pluribus operibus ejus non eris curioſus. Plurima enim ſuper ſenſum hominum oſtenſa ſunt tibi.* Quam ſupra humanæ mentis captum opera ſua longe poſuerit Deus, Græcos ipſos pernoſcendæ veritatis illecebris captos clariſſime admonet Paulus gentibus ad veram Philoſophiam erudiendis a Deo miſſus, cum ait: *Scriptum* (2) *eſt, perdam ſapientiam Sapientium, & prudentiam prudentium reprobabo. Ubi Sapiens? ubi Scriba? ubi conquiſitor hujus ſæculi? Nonne Deus ſtultam fecit ſapientiam hujus mundi? num quia in Dei Sapientia non cognovit mundus per ſapien-*

(1) Eccli. III, 22. & ſeq.

(2) I Corinth. I, 19. & ſeq.

*pientiam Deum?* per ſapientiam nimirum humanam, quæ Ratio eſt: *Placuit Deo per ſtultitiam prædicationis ſalvos facere credentes*: hoc eſt, ſaluti eorum conſulere qui Fide uterentur, non Ratione. Et mox: *Græci Sapientiam quærant, nos autem prædicamus Chriſtum crucifixum.* Tum: *Quod ſtultum eſt Dei, ſapientius eſt hominibus.* Deinde: *Quæ ſtulta ſunt mundi elegit Deus, ut confundat ſapientes.* Poſtmodum hæc ſubnectit: *Sapientia hujus mundi ſtultitia eſt apud Deum.* Item: *Ut Fides veſtra non ſit in ſapientia hominum, ſed in virtute Dei.* Atque hæc deprompta ex Iſaïa (1) confirmat Davidico iſto effato, *Dominus ſcit cogitationes hominum, quoniam vanæ ſunt.* Coloſſenſes quoque retrahit à ſtudiis ventoſæ illius & fallacis Philoſophiæ, quæ nititur humana ratione, non Fide Chriſti: *Videte*, inquit, *ne quis* (2) *vos decipiat per Philoſophiam & inanem fallaciam, ſecundum traditiones hominum, ſecundum elementa mundi, & non ſecundum Chriſtum.* Ergo Conſtantinus (4) Imperator in oratione

(1) Iſaï. xxix, 14. & xxxiii, 18. Pſalm xciii, 12.

(2) Col. ii, 8.

(3) Conſtant. Orat. ad Cœt. Sanctor. cap. 8.

ne ad Cœtum Sanctorum, palam prædicare non dubitavit veritatem ab homine cognosci non posse. Sed & ante Constantinum Arnobius (1) scripsit hominem *esse animal cæcum & ipsum se nesciens*, quod *nullis possit rationibus consequi quid oporteat fieri, quando, vel quo genere.* Idem inter beneficia quæ Christus in humanum genus contulit, propter quæ etiamsi merus homo fuisset, inter Deos referri meritus erat, non postremum hoc posuit, quod monstraverit homines *animantia informia esse, vanis opinionibus fidere, nihil comprehensi habere, nihil scire, & quæ nostros sita sunt ante oculos non videre.* Scribit idem alibi, *mentibus hominum veritatem cupientibus noscere, rerum opponi obscuritatem, & velut oculorum luminibus viduas nihil certum videre, & per ancipites semitas suspicionum induci errore*; disputari omnia, nihil sciri; & cum nihil sciamus omnino, falli nos tamen, & in opinionem scientiæ inflati pectoris tumore tolli, nostramque infirmitatem & inscientiam miserabilem hoc

Arnob. l. 1 & 11.

hoc magis esse quod cum fieri possit ut veri aliquid aliquando dicamus, hoc ipsum nobis incertum sit, an veri aliquid dixerimus: atque idcirco Christum Dominum ab indagatione rerum illarum quæ longe captum superant cognitionemque nostram, dimovisse mentes hominum, & ad Dei contemplationem cultumque traduxisse. Nec a magistri Arnobii dictis recedit discipulus Lactantius, qui hominem veri esse inscium, nihil exploratum habere per Philosophiam, vivendum tamen ex usu vitæ, egregio Institutionum opere passim inculcat: potissimum vero, cum ad id quod nunc agimus, velut nos instigans, sic differit: *Cum sit (1) nobis divinis litteris traditum cogitationes Philosophorum stultas esse, id ipsum re & argumentis docendum est; ne quis honesto Sapientiæ nomine inductus, aut inanis eloquentiæ splendore deceptus, humanis malit quam divinis credere*: hoc est, Rationi potius quam Fidei obtemperare. Sic Gregorius Nazianzenus inscitiæ nostræ nos admonet, cum ait (2) creatarum rerum creati-

(1) Lactant. Instit. Lib. I. cap 1.

(2) Greg. Nazianz. or. XXXIV. quæ est 2. de Theol.

tionisque rationes nonnisi per nebulam nos perspicere, quoad vitâ hac fruimur; tanta insidet animis nostris caligo, tanta officit corporis moles; olim vero, postquam ea fuerimus exuti, clare perspecturos. Sic & Augustinus: *Non est* (1) *ista mundi hujus Philosophia, quam Sacra nostra meritissime detestantur, sed alterius intelligibilis: cui animas nostras multiformibus erroris tenebris cæcatas & altissimis à corpore sordibus oblitas numquam ista ratio subtilissima revocaret, nisi summus Deus populari quadam clementia divini intellectus auctoritatem usque ad ipsum corpus humanum declinaret atque summitteret, cujus non solum præceptis, sed etiam factis excitatæ animæ redire in semetipsas & respicere patriam, etiam sine disputationum contestatione potuissent.* Et alibi: *Quia* (2) *caligantes hominum mentes consuetudine tenebrarum, quibus in nocte peccatorum vitiorumque velantur, perspicuitati sanctitatique Rationis aspectum idoneum intendere nequeunt, saluberrime comparatum est, ut in lucem veritatis aciem titubān-*

(1) Augustin. contra Academ. l. III. cap. 19.

(2) August. de Moribus Eccles. Cathol. cap. 2.

*bantem, & veluti ramis humanitatis opacatam inducat auctoritas.* Et Isidorus (1) Pelusiota perspicuè scire se pronuntiat se nihil scire: plane Socraticè. Magno assensu, magnaque adeo admiratione exceptum est in Synodo Nicæna dictum cujusdam è populo, Christum & Apostolos non dialecticam nobis artem & ratiocinandi calliditatem reliquisse, sed nudam & apertam sententiam Fide & bonis operibus custoditam. Et sanctitate conspicuus Alexander Constantinopolitanus Episcopus ad dijudicandam Arii doctrinam Dei unius opem quæsivit, neglecto Dialecticæ versutiæ præsidio Sed ut perpetuus ille Scholæ dictator Thomas (2) definit per sensuum compedes ita obstrictos teneri nostros animos, ut res perfecte percipere non possint; eorumque tantam esse imbecillitatem, ut quæ sponte sua certa sunt, si ad illos revocaveris, incerta efficiantur.

(1) Isidor. Pelus. l. III. Epist. 241.

(2) Thom. Summ. P. 1. Quæst. 1. art. 5. & Quæst. 84. art. 8.

III.

Nunc ostendamus rebus ipsis, ab homine per Rationem firme

me clareque cognoſci non poſſe veritatem, quam eſſe diximus conſenſionem objectæ extrinſecus rei, & judicii quod mens facit ex intuitu ideæ rei hujus quæ in nobis eſt. Ut enim certus ſit homo duo hæc conſentire, certus primum eſſe debet ſimulacrum ſive ſpeciem ab objecta re externa profectam, quidquid tandem illa ſit, veram eſſe rei ipſius imaginem; tum ſpeciem hanc integram & illibatam, neque ab interjectis rebus immutatam allabi ad inſtrumenta ſenſuum noſtrorum; inde perculſa & commota hæc ſenſuum inſtrumenta, cum cerebrum percepti motus per corporis fibras commonefaciunt, fidos eſſe & veraces nuntios, neque rei integritatem pervertere; cerebrum demum admonitione hac excitatum, dum allatum nuntium conjuncto ſibi animo ſignificat, ſervare fidem, nec quicquam de veritate detrahere; & animi denique perceptione hac informati rectum eſſe judicium. Quæ ſingula ſunt hujusmodi, ut quantumlibet ſe torqueat acutiſſimus quivis Philoſophus, nul-

la eorum argumenta afferre poſſit; cum nobis è contrario plurimæ ſuppeditent cauſſæ, cur incertam eſſe judicemus ſimilitudinem ſpeciei cum corpore unde profecta eſt, & fidem interjecti medii per quod ad ſenſus appellit ſpecies externæ rei, & ſenſuum noſtrorum, & cerebri, & perceptiones denique animi ipſius.

1. Nam primum quis dicere auſit imaginem, ſive umbram, ſive ſpeciem, quæ fluit à corpore extrinſecus objecto; verum ejus eſſe ſimulacrum, nec quicquam ab eo differre? Nec jam hic quæro quid ſit illa imago, nam diſputatio eſt alterius loci: adhibebo interim opiniones atque voces in Scholis Philoſophorum uſurpatas. Qua arte, qua induſtria mens mea, quæ de ſimilitudine illa arbitrium facit, rem objectam cum ejus imagine comparare poteſt, cum ambæ extra eam ſint; cum imago illa neque contineri, neque ſpectari poſſit; & omnino an ſit, à nonnullis dubitetur? Demus tamen & ſpectari & æſtimari poſſe; videbuntur utique valde diſſimiles. An quæ ex arbore profici-

ficiſcitur ſpecies, arbor eſt? an ſimilis arbori eſſe poteſt, ſi arbor non eſt? nam ſimilitudinis nomine abutimur, cum pictam tabulam, aut ſtatuam marmoream hominis alicujus ſimilem eſſe dicimus. Veram quærimus & perfectam ſimilitudinem, quæ non externum tantum habitum referat, aut magnitudinem, aut colorem, ſed proprietates ſingulas, & corporis totius, & partium non externarum ſolum, ſed etiam internarum: quæ ſi qua parte deficiet, hac parte diſſimilitudo inerit, neque rem objectam, uti eſt, percipiemus. Deficit autem in multis. Arbor aſpectabilis eſt, immota eſt, ſolida eſt: ſpecies illa fugit oculos, mobiliſſima eſt, tenuiſſima eſt.

2. Concedamus tamen ſpeciem hanc ſeu imaginem objectæ rei penitus eſſe ſimilem; at varium eſſe, & inæquale, & mutabile medium quod rei umbram ad ſenſus inſtrumentum defert, coloris puta ad oculum, plurima declarant experimenta. Alius eſt color veſperi atque media die; alius ad lucem ſolis

atque lampadis. Si clauso cubiculo, aquæ ex vino vaporato exceptæ, quam aquam vitæ appellant, salem injeceris, igneque injecto accenderis; vel si sulfur candens in calice novo, prunaque subdita circumtuleris, quem ludum olim lusisse Anaxilaum (1) refert Plinius, circumstantium luridæ apparebunt & tetræ facies, sic ut inambulantia dicas hominum cadavera. Tremere videntur domus per erumpentes è flamma fumos conspectæ. Multiplex & diversus videtur rerum color quæ prope sunt: has si eminus cernas, omnia uno obducentur colore atque hoc cæruleo, qui & in Cælo & in mari apparet, cum neutrubi sit. Nam maris cæruleus ille color, modo fit purpureus, modo flavus, & mutat ad flatus ventorum. Moles illæ siderum, quas tantas esse ex Mathematicorum rationibus intelligimus, quantulas esse percipimus visu oculorum? Quid hic de remo commemorem, qui infractus videtur ea parte, qua ex aëre aquam subit? & de vitris coloratis, quæ trans-

(1) Plin. lib. xxxv. cap. 15.

transmissas rerum externarum species inficiunt? & de prismate vitreo, quod & si constat triplici facie plana, materia vero pura, simplici, pellucida, si tamen ad oculum admoveris, quidquid erit extra positum rotundabit, amœnissima colorum varietate distinguet? & de tenuibus auri bracteis, quæ cum fulvæ sint, trajectam ad oculum lucem viridi colore tingunt? Eadem est sonorum ratio, eadem odorum qui pro interpositi medii diversitate diversi ad nos accidunt. In hac igitur infinita interjacentium rerum mutabilitate & inconstantia, necesse est infinitis modis speciem variari.

3. Fateamur vero id quoque integram umbram seu exuvias, jugi fluore a corporibus manantes, ut loquitur (1) Apuleïus, sensibus excipi; liberales enim sumus in tanta copia: quam multis Philosophorum disputationibus demonstrata & sensuum infidelitas? Unico nos eam approbabimus argumento, cui quomodo occurri possit non video. Certum est sensum pendere ab instrumento sensus. Aliud sen-

(1) Apul. Apolog. 1.

timus valentibus & integris sensuum instrumentis, aliud morbo tentatis. Quædam pueris nobis sapiebant, nunc viris injucunda sunt. Plerique rem eandem altero oculo majorem vident, altero minorem. Cum igitur tanta sit horum diversitas, ut ne in eodem quidem homine constantia reperiatur ulla, aut similitudo sensuum; majorem etiam fatendum est in pluribus inesse hominibus, qui tam dissimilibus utuntur sensuum instrumentis. Nam si tanta est vultuum differentia, ut in eo vel lusisse, vel fecunditatem suam experiri voluisse videatur Natura, nec duos usquequaque similes in tanto hominum numero nancisci possis, putabimusne nihil omnino discrepare interna corporis conformatione, qui habitu externo corporis tantum differunt? At si tam stolidi sumus ut putemus, deridebunt nos medici, qui apertis humanis corporibus & persectis, maximum partium internarum discrimen deprehendunt. Concedendum est igitur neque sensus percipere res externas, sed incursionem solum

ima-

imaginum ſive idolorum, quæ ab externis rebus proficiſcuntur; neque hac impulſione extrinſecus oblata in omnibus hominibus ſimilem eſſe affectione, ſed pro diverſitate inſtrumentorum diverſam: ut pro laxitate chordarum & craſſitudine varii eduntur ſoni; nec proinde ſciri poſſe quænam ex illis affectio accuratius conſentiat rei extrinſecus objectæ. Appoſite Satyricus:

*Fallunt nos oculi, vagique ſenſus*
*Oppreſſa ratione mentiuntur.*
*Nam turris prope quæ quadrata ſurgit,*
*Attritis procul angulis rotatur.*
*Hyblæum refugit ſatur liquorum,*
*Et naris Caſiam frequenter odit.*
*Hoc illo magis aut minus placere*
*Non poſſet, niſi lite deſtinata*
*Pugnarent dubio tenore ſenſus.*

4. Simus tamen faciles, ut cœpimus, & fateamur veraces eſſe ſenſus in excipiendis extrinſecus ſimulacris ſeu imaginibus, quæ certam habeant & popriam declarationem objectæ rei externæ, unde ſint; at-

que hujusmodi (quod ad veri perceptionem requirebat Zeno) qualem habere non possint res unde non sint, quis fidem præstabit eorundem sensuum in significandis menti & renuntiandis rebus à se perceptis? Administris enim utuntur ad id fibris nervorum, quæ nec plane similes esse observavit ars Medicorum; proindeque nec mentem eodem modo impellere manifestum est. Utuntur & spiritibus qui animales dicuntur, & quorum non æqualis est in hominibus singulis copia, non par motus & agitatio. Scio equidem sic traditum esse à Cartesio, ac fere existimari spiritus animales à cerebro in nervorum tubulos proficisci, & fibras internas nervorum circumfundere, atque ad motus in musculis ciendos esse utiles; fibras vero ipsas tenuissimis filis similes, in funem colligatas, & ad exteriora usque membra quaque versus porrectas, instrumentis sensuum inservire, & impulso sensus instrumento adjunctas fibras commoveri; & spiritu circumfuso turgentes admis-

miſſum ab extrema & externa parte motum citiſſime ad cerebrum tranſmittere; quemadmodum ſi alteram partem reſtis intenſæ tangas, ſtatim altera commovetur. Ego vero qui diſſectis vivorum animalium corporibus deprehendi ſæpius nervorum tubos diſperſos per corpus, ſpiritibus quamtumvis turgentes, eſſe laxiſſimos & valde tortuoſos, variiſque modis inflexos, & ejus partis cui inhærent motu facile produci vel contrahi, vix animum induco meum obtinere reſtis inſtar intenſæ, perceptumque; ab una parte motum tanta celeritate poſſe ad cerebrum per eos traduci. Ad id tamen ut concedamus aliquatenus fieri poſſe, utiliorem certe ad id operam ſpiritus ipſos præſtare puto, qui cum ſtupendæ ſint tenuitatis & celeritatis, & nervum impleant, facile intelligitur motum iis extrinſecus impreſſum, ſtatim ad cerebrum pertinere; quantumlibet enim cortortuplicati ſint & ſinuoſi ſpirituum incluſorum ductus, ſervant tamen tenorem; haud ſecus atque flexuoſæ tu-

bæ cum inflantur, si os ad alterum foramen, manum ad alterum admoveas, deprehendes manum ab aëre impelli, simul atque oris spiritu impellitur. Nec infirmat opinionem nostram quod evenit aliquando ut per paralysin motum amittat membrum aliquod, sensum integrum retineat; movetur enim membrum, cum in ejus musculos vis magna spirituum per nervos influit. Sin spirituum copiam ad inflandum musculum necessariam, vel cerebrum non suppeditet, vel musculus ipse non admittat; maneat dumtaxat quantum satis est ad implendum nervum, sublato motu sensus vigebit. Quin etiam fieri potest, ut cum intra nervi cavernam multæ delitescant fibræ, destinatæ sint aliquæ ad spiritus musculis subministrandos, & versus extremas corporis partes devehendos, concinnandumque motum; aliquæ contra ad spiritus ab extremis partibus cerebrum versus referendos, sensumque efficiendum, ut fiat circuitio quædam; quæmadmodum sanguis a corde per arterias ad extima di-

dilapſus, eodem per venas retruditur. Sed hæc obiter. Quid quod & morbo, & ſomno, & vino, aliiſque cauſſis ita commoventur ſpiritus, ita agitantur fibræ cerebri, ut & varie afficiatur cerebrum, & ea nonnunquam ſentire ſe mens putet, quæ ſenſuum inſtrumenta non percipiant.

5. Præterea cerebrum, arx animi, officina Rationis, perceptionis, qualiſcumque tandem illa ſit, & comprehenſionis artifex, uniuſne tandem in omnibus hominibus formæ eſt, uniuſne ſtructuræ? quod anguſtius illi, capacius alteri, ineſſe videmus? Adeo multiplex eſt & varius capitis habitus, index certiſſimus cerebri, ut totæ gentes rotundis ſint capitibus, totæ oblongis, quædam latis, nonnullæ acutis, aliquæ depreſſis. Jam notum eſt ingenii vires, rationis acumen, memoriæ firmitatem ex cerebri capitiſque compoſitione, habitudine & figura oriri. Scitum eſt (1) Parmenidis, talem eſſe humananı mentem, qualis eſt humanorum membrorum compages. Ingenio fere pol-

(1) Parmen. apud Ariſtot. Metaph. lib. III cap. 5.

pollere qui amplis ſint capitibus, leves eſſe contra qui exiguis, & trito vulgi adagio & experientia teſte ſcitur. Macrocephalos (1) narrat Hippocrates, infantium capita arte primum produxiſſe inlongitudinem, eos præ cæteris ſtrenuitate præſtare cenſentes, quorum capita eſſent longiſſima, deinde Naturam arti obſecutam, ita omnium capita formaſſe. Gens eſt in America, quæ infantium omnium capita effingit in turbinem; itaque inſana tota illa gens eſt, & propemodum furioſa. Fatuus ille & Stolidus Therſites, idem φοξὸς fuit; ſic enim appellat Homerus, cujus caput in metam aſſurgit. Atque inde fit, quod vulgo dici ſolet, ut tot ſint ſenſus quot capita. Ex hac enim inſtrumentorum, quibus res ſentimus, fibrarum, ſpirituum, cerebrorum, & capitum varietate & mutabilitate, tanta illa oritur opinionum in homine mutabilitas; ſic ut quæ puer probabat, ſenior factus jam repudiet; ſæpe etiam uno eodemque die pugnantibus utens conſiliis ac ſtudiis à ſe ipſe diſſideat, ſecumque diſ-

(1) Hippocr. de aër. aq. & loc. Sect. V.

diſcordet, nec unicam horam durare poſſit eamdem rem probans; ſed ſpretis quæ petiverat, repetitis quæ nuper omiſerat, æſtuet, ac toto vitæ ordine diſconveniat.

6. Pergamus autem benigni etiamnum eſſe, demuſque certa eſſe omnia iſthæc, quæ incerta eſſe oſtendimus: jam ſpecies cerebro impreſſas quomodo percipiat animus, quomodo de rebus perceptis judicet, & quo tandem pacto res mere corporeæ & ex materia concretæ animum corporis & materiæ expertem poſſint afficere, plane ignoramus. Cum autem ignotum nobis ſit, quomodo ad animum perveniat incurrens in cerebrum impulſio, agnoſcat tamen animus affici ſe aliquo modo & percelli à cerebro impulſo per quemdam motum corporeum, ſic ut rem aliquam in certum aliquem modum percipiat; puta Solem velut diſcum aliquem lucidum & radiatum; incertus eſt an talem figuram effictam gerat oculus an diverſam. Imo vero perſuaſus eſt animus inverſum Solis ſimulacrum depingi in oculo, cum recti Solis

ideam in se inesse sentiat; & quæcumque nuntio oculorum ad se perveniunt, ea in se contrario situ signari, ne depingantur in oculis; sibi quippe videri summa, quæ ima sunt in oculo; dextra, quæ sinistra; incertus quoque est idem animus, an tale simulacrum e Sole emissum sit, quale signatum est in oculo; ac incertus etiam an ulla omnino Solis imago in oculo depicta sit; an vero ipse impressas olim cerebro plagas quasdam, sulcosque in ejus fibris exaratos recognoscens, & vestigia relegens, ideam hanc informaverit. Cujusmodi sunt quæ in quiete & per insaniam aut vinum adesse & sentiri videntur, cum tamen nulla omnino sint; cujusmodi etiam quæ sani, vigilantes, & sobrii animo fingimus. Intellectus vero, nobilissima animæ nostræ facultas, ecquid sit, qua corporis nostri parte situs sit, quid agat aut agere possit; an nullas habeat ideas rerum nisi per nuntios sensus, an primitus iis à natura instructus prodeat, infinitis disputationibus hactenus quæsitum est. Atque hæ ipsæ opinionum discrepan-

tiæ,

tiæ, & idearum ac rerum perci-piendarum diſcrimina, quæ ab in-tellectu proficiſcuntur, quam in-certa res ſit intellectus, & multi-plex, & varia, & ignota, mani-feſto declarant. Non aliter autem dijudicari poſſunt hæ controverſiæ, quam ope ipſius intellectûs, qui cùm controverſus ſit & dubius, quomodo dubium dubio tolle-tur? quomodo ſe ipſe, doteſque ſuas intellectus comprehendet, & perfecte intelliget? An ipſe ſe guſ-tare poteſt guſtus? an olfacere ol-factus? an viſus videre? Certe ad comprehendendum & plene intel-ligendum intellectum alio intellec-tu eſſet opus; nulla enim alia fa-cultas eſt, per quam cognoſci poſ-ſit. Porro ſi ignotus nobis eſt, nec quid efficere poſſit, compertum ha-bemus, qua fiducia re ignota uti poterimus ad aliarum rerum igno-tarum perceptionem, vel rebus ab eo perceptis fidem tribuere? Cum tot ergo mutationibus obnoxiæ ſint ſpecies rerum, quibus in animis noſtris ideæ gignuntur; tam obtuſi & hebetes corporum noſtrorum

ſen-

ſenſus; tam futilia inſtrumenta; tam obſcura animi & intellectus humani indoles; ecquam objectæ rei, & ideæ animo noſtro impreſſæ conſenſionem, ecquam conſenſionis hujus certam perceptionem ſperare poſſumus?

## I V.

SEd & id clariſſimum eſt ingenitæ nobis inſcitiæ argumentum, quod tales ſunt naturæ rerum, ut ab humana mente pervideri non poſſint. Cum enim probatum ſit a me, naturam ita fabricatam eſſe hominem, ac ejus mentem ita comparaſſe, ut rerum externarum notitiam aſſequi non poſſit, & ſi id ſufficere videtur ad eripiendam nobis ſpem firme ac clare percipiendæ per Rationem veritatis, ſi tamen oſtendero præterea rerum omnium naturas, atque hominis etiam ipſius, eſſe hujuſmodi, ut ab homine cognoſci non poſſint, nihil ſupererit in quo veſtigium figere poſſit mentis humanæ confidentia, cum ſuapte natura neque ho-

homo possit res firme clareque percipere, neque res ab homine firme clareque percipi possint. Id autem sic conficitur. Percipi non potest rei natura, nisi sciatur quid habeat res illa rerum aliarum simile, quid discrepans; hoc est, nisi ejus cognoscatur genus & differentia: iis enim rei naturam contineri existimant Philosophi, atque hæc optima habetur definitio, quæ constat genere & differentia. Sic hæc igitur cognosci non possunt, nec illa quoque. Sciri autem non potest rei genus, hoc est, quanam similitudine conveniat alii rei quæ specie differat, nisi perspecta utriusque natura. Quare ut ejus cognoscatur genus, natura ejus cognoscenda est. Atqui per genus ipsum dicebamus cognosci rei naturam. Ita altero opus est ad alterius cognitionem, & fit vitiosus ille circulus. Idem de differentia dicendum est; nec enim scire possumus quid res differant à rebus, nisi utrasque cognorimus. Fient hæc per exemplum clariora. Quæras à Cathedrariis illis Philosophis quid sit homo: Animal,

mal, inquient, particeps rationis. En tibi genus, en differentiam. Genus autem speciebus æque commune esse debet. Homo igitur perinde esse debet animal ut equus: nam si aliter sit animal, ac ille, inerit differentia. Ita in ipso genere, quatenus genus est, inerit differentia, ac proinde genus non erit. Quî autem scies, an æque uterque sit animal, nisi utriusque naturam cognitam habeas, ac nisi etiam probe teneas quid sit animal: quod an sciri possit valde quoque incertum est. Quæras enim quid sit; Quod vivit, inquient, atque sentit. Quî scis autem, mi homo, an homo, & equus æque sentiant? Ecce tibi Cartesium novum, si ipsi de se creditur, veritatis vindicem, qui equum nihilo magis sentire dicat calcaria, quam sentit arbor securim. Deinde tantum sentiunt plantæ quædam, animalia autem non sunt; ergo ne equi quidem. Adde equum vidisse te, vidisse & hominem; animal non vidisse umquam, nisi cum hominem videres aut equum, aut quadrupedem alium, aut piscem, aut avem,

avem, aut aliquid hujuſmodi. Quamobrem genus omnino non noſti, niſi per ſpecies. Atqui modo ſpeciem quærebamus per genus. Incurrimus igitur in modum διάλληλον, quem reſpuit ratio. Huc accedit, quod cum noſci debeat rei genus, ut natura rei hujus cognoſcatur; genus ipſum cognoſci non poterit, niſi cognoſcitur ejus genus, ac porro generis hujus genus, & hujus quoque aliud; atque ita vel res abibit in infinitum, nec unquam quæſitam adipiſcemur notitiam rei; vel conſiſtendum erit in ſupremo genere aliquo, cujus ignoretur genus. Hoc ſi ignoretur genus, ignorabitur quoque illud, ac reliqua porro quæ ex eo propagata ſunt; & denique res ipſa quæſita. Veniamus ad differentiam hominis, ductam à ratione qua præditum eſſe volunt. Atqui hoc ipſum tota hac noſtra diſputatione quæritur; an ratione polleat homo; an ratiocinari poſſit, an argumentari. Incertum ergo eſt an hæc ſit ejus differentia. Demus tamen eum pollere ratione: ſoluſne vero? at ratio-

tionem quoque inesse in animalibus contendunt doctissimi Philosophi, quorum & libri exstant. Controversiam hanc dirimet nemo, nisi qui & animalia & hominem prius noverit. Reditur ergo ad quæsitum, & ignoti ab ignoto petitur notitia, ac semper in luto hæsitamus.

## V.

Sed & alia caussa est, eaque manifesta, quamobrem res cognosci non possint, nimirum quod fluxæ sint & caducæ, adeoque mutabiles, ut in eodem statu ne per brevissimum quidem temporis intervallum possint consistere. Quamobrem ad significandam illam mutabilitatem corporum, perquam commoda atque scita fluminum similitudine usi sunt prisci Philosophi. Quemadmodum enim vere dictum est ab Heraclito, neminem bis in idem flumen intrasse, quod quæ heri præterfluebant aquæ, jam præterfluunt; ac verius etiam dictum sit a Cratylo, ne semel quidem in

in idem flumen intrari; ita equus ille quo nunc veheris, quemque nosse putas, alter est ab eo quo vehebaris heri; imo quo mox vehebaris: singula de eo prædatum est tempus; mutatæ sunt carnes, ossa, pellis, pili, per nutrimenta, per excrementa, per incrementa, per exhalationem; per externum, per internum calorem, per affluentem aërem, per effluentes spiritus: adventantis materiæ copia deperditæ damnum resarciente. Quapropter Plato, & veteres illi, quos laudat in Theæteto; Empedoclem dico, Heraclitum, Protagoram, & Philosophos plerosque omnes, (si unum fortasse Parmenidem excipias) & nobilissimos Poetas Homerum & Epicharmum; quibus clarissime assensus est (1) Seneca; omnia fieri dixerunt, nihil esse, neque exstare quicquam, quod certum unum aliquid vel sit, vel dici possit. Hinc sequitur, quotiescumque ad rem aliquam cognoscendam animum instituero, ante desituram esse id quod erat, quam mentem in ea defixero. Quapropter nihil dicen-

(1) Senec. Epist. 58.

cendum esse putabat Cratylus, sed digitum tantum movebat. Quoniam autem universalia constant ex singularibus, cum singularia continuo elabantur & effluant, nec cognosci propterea possint, sequitur nec universalia cognosci posse. Atque hæc ratio tantum potuit apud Augustinum, ut ex ea collegerit: *Sinceritatem* (1) *veritatis à sensibus corporis non esse exspectandam*: & Aristoteles (2) huic occurrere conatus, tam futilem & inanem adtribuit responsionem, ut rem multo magis confirmaverit. Quin etiam cum res omnes mutentur, me ipsum quoque mutari, & in dies, & in horas, & in momenta singula necesse est. Dum loquor, alius fio; & quamvis mutatio ex recenti & propinquo non facile deprehenditur; post tempus aliquod manifesto apparet. Qui ergo ferre poterit certum aliquod de rebus judicium atque constans, qui sibi ipse non constat, tamque varius est atque mutabilis?

(1) August. Quæst. 83. Quæst. 9.

(2) Aristot. Metaph. lib. III. cap. 5.

## VI.

PORRO quum ſit hominum mutabilitas, ut ne unus quidem diu ſui ſimilis ſit, infinitam eſſe hominum omnium inter ſe diſſimilitudinem & diſcrepantiam neceſſe eſt; quod & jam ſupra a me eſt notatum. Ex tanta ergo varietate, quænam judiciorum convenientia; quænam firmitudo & conſtantia ſententiarum exſpectanda eſt? Quî ſcire poſſum idem tibi videri, quod mihi? atque itidem tibi videri album, quod album mihi videtur? & colorem unum & eumdem apparere nobis, quem uno albi nomine uterque appellamus? Cum igitur res hominibus vel diverſæ appareant, vel ſcire certo non poſſimus an ſimiles appareant, in tanta multitudine hominum diverſa videntium, vel ignorantium an eadem videant, quiſnam verum dicere præ cæteris exiſtimabitur? quænam in hac diſſenſione ponetur vel admittetur ab omnibus certa & conſtans regula veri? Acute id vidit Euri-

ripides (1), & ex persona Eteoclis prædicavit:

νῦν δ' οὔθ' ὅμοιον οὐδὲν οὔτ' ἴσον βροτοῖς,
πλὴν ὀνομάσαι. Τὸ δ' ἔργον οὐκ ἔστι τόδε.

*Nunc vero neque simile quicquam est, neque æquale hominibus.*
*Præter nomen. Res vero eadem non est.*

Vidit id & Protagoras, ac propterea normam esse sibi unumquemque dixit. Ego vero ne sibi quidem normam esse quemquam posse dico, propter eam quam demonstravi hominum omnium, non cum aliis solum, sed secum etiam dissimilitudinem. Præclare hæc à Platone tractata sunt in Theæteto, & a Sexto (2) Empirico; quos & si legistis studiose, ut cætera veterum Philosophorum omnia, à vobis iterum, ne longior fiam, consuli velim.

(1) Euripid. Phæniss. v. 504. & 505.

(2) Sext. Empiric. hypot. l. 1. cap. 14.

## VII.

HUc accedit præterea, quod ita natura connexæ sunt res omnes, ita consertæ, ut nulla esse vel per-

percipi omnino poſſit ſine altera, nec illa quoque ſine alia, nec iſta etiam ſine alia aliqua quoad ex alia in aliam progrediendo omnis rerum infinitas cognitione percurratur. Omnia autem ſcire mens humana non poteſt, ac proinde rem omnino nullam. Velim, puta, ſcire quid ſit homo. Is cum conſtet ex corpore & animo, & ratione ſit præditus, cognoſci à me non poteſt, niſi cognoſcam corporis & animi & rationis naturam. Corpus autem hominis conflatum eſt ex igne, aere, aqua & terra. Hæc itaque mihi debent eſſe cognita, ut corporis humani rationem cognitam habeam. Accingo me itaque primum ad cognitionem ignis, & quid de eo ſenſerint Philoſophi exquiro. Adeo inprimis ad Carteſium: ignis naturam ex eo non cognoſcam, niſi propoſitam ab eo naturæ totius deſcriptionem calleam; nec callere ſatis eſt: ad examen quoque revocanda ea eſt, & cum aliorum Philoſophorum opinionibus contendenda. Tum deinde ipſáne, an aliorum aliqua veritati conſentanea

 ſit,

ſit, dijudicandum. Id ut recte fiat, inveſtigandæ erunt primæ rerum cauſſæ. Dixi de igne: idem rurſum dicendum de aëre, tum de aqua, demum de terra. Quæ cum exploraveris, cognoſcenda inde erit corporis humani fabrica, ſtructura partium & uſus: quæ ſingula poſt tot annorum diſputationes & experimenta in magna obſcuritate verſantur, & ſunt immenſi ſtudii ac laboris. Hinc quærendum erit, quomodo corpus humanum genitum ſit: gravis enimvero & perplexa diſquiſitio de generatione, & de cauſſis generationis; quid ad eam conferat pater, quid mater, unde utrique vis illa generandi, quomodo formetur fœtus in utero, quomodo alatur, quâ vi clauſtra hæc perrumpat & foras prodeat: tum an homo ſine patre, an ſine matre generari poſſit, ut ſenſerunt quidam. Noſcendum quoque cur maſculus generetur, cur femina, cur ſimus, cur criſpus, cur brevis, cur iracundus, cur mulieroſus, cur edax, cur vivax. Agnoſce immenſitatem rerum. Utcumque ta-
men

men hæc ſciri poſſint, inexplicabilis rurſum oritur diſquiſitio de animo humano; quid ſit, ubi ſit, quid agat, quomodo agat, quomodo corpori illigatus ſit. His perceptis exquirendum erit quid ſit Ratio, quinam Rationis uſus, quid per eam efficiatur, quid non. Nec id ſcies, niſi totam Dialecticam arripueris. Res abibit in immenſum, ſi quis ſingula perſequi velit; & ante eum vita deficiet, quam vel minimam exhauſerit partem rerum, quæ cognoſcendæ ſunt, ut res aliqua cognoſcatur. Reſiſtendum itaque in limine, ne labor inanis ſumatur.

## VIII.

QUod autem nulla prorſus homini à Deo data eſt conſtans norma veritatis, capitale hoc eſt adverſus Dogmaticorum temeritatem argumentum. Nam cum veris falſisque permiſta ſint omnia, & in utriſque dijudicandis hæſitemus, ac ſæpe his vel illis aſſentiendo fallamur, quî tandem diſtingui hoc poterunt, niſi certa adhibita veri-

tatis regula, cui si quid congruet, id verum esse sine dubitatione sciamus; id falsum, quod discrepabit? Quamobrem indagatores veritatis, qui Philosophi sunt dicti, in ea comparanda summa contentione laborarunt, κριτήριον appellant, atque id duplicis generis esse aïunt, aliud ad agendum, aliud ad credendum. Ad illud vita omnis dirigitur: posterius hoc cognitionis norma est; quo constituto veri à falso distinctio traditur, & κριτήριον veritatis vocari vulgo solet. Quod & si multifariam sumi potest, id nunc quærimus, quod est proprie mensura comprehensionis, perquam res obscuræ arte quadam adhibita percipiuntur. Atque in hunc sensum sola ea veniunt criteria, quæ ratione utuntur ad cognoscendam veritatem. Hoc partiuntur in triplex criterium, τὸ ὑφ' ὧ, τὸ δι' ὧ, τὸ καθ' ὅ. hoc est *illud a quo, illud per quod, illud secundum quod.* Criterium à quo, homo est; nam agimus de veritate ab homine percipienda. Illud per quod, velut sensus aut intellectus, quorum ope ve-

lut

lut inſtrumentorum, veritatem eruere ſe poſſe homines ſperant. Criterium denique ſecundum quod, eſt actio humanæ mentis, quâ Criterium per quod ad veritatem cognoſcendam applicatur. Tria hæc poſtrema Criteria inania eſſe & incerta clariſſimis rationibus jam ab aliis probatum eſt; nam cum ignota ſit hominis natura, & infinitis Philoſophorum commentationibus & diſputationibus fruſtra quæſita, multo etiam magis ignotum eſt an ſit ad veritatem percipiendam idonea. Incertum eſt igitur Criterium à quo, natura nempe humana. Id ſi ſit, uti eſſe res ipſa clamat, ſequitur incertius etiam eſſe Criterium per quod, hominis nempe vel ſenſus, vel affectiones, vel permotiones intimas ſenſuum, vel φαντασίαν, quo nomine appellant impreſſionem in animo factam, ſive impulſionem animo extrinſecus oblatam, ſive mentis modificationem, quod Latino vocabulo *viſum* appellare placuit, vel mentem ipſam, vel Rationem quæ eſt facultas mentis. Inexploratæ enim na-

turæ ignorari facultates necesse est; atque his demum incognitis nesciri quoque earum actiones, quibus constat Criterium secundum quod. Minime vero mihi propositum est, quæcumque huc faciunt, omnia persequi: nam & tecum ago viro in his studiis subacto (memineritis enim loqui doctum illum Gallo-ligurem) & longa nobis percurrenda est via, ut diu subsistere in iisdem locis non liceat: præsertim cum pervagata sint, quæcumque possunt adversus sensuum vel humanæ mentis fidem colligi. Nusquam enim alias magis exsultat Academicorum & Scepticorum oratio. Pauca hæc afferam, quibus Criteriorum fides universe tollitur. Cum ad internoscendam veritatem necessarium sit Criterium, reperiendum est illud, antequam quæratur veritas. Ut autem reperiatur Criterium, discernere necesse est verum Criterium a falso; quod ut fiat, explorare debemus an certas illud habeat notas veritatis. Certas autem notas veritatis non agnoscimus, nisi percepta prius veritate. Igitur ad re-

reperiendum Criterium reperta veritate opus eſt, ad reperiendam veritatem reperto Criterio. Cum neutrum autem repertum ſit, efficitur neutrum reperiri poſſe. Præterea cum Criterium ſit regula veritatis, dirigenda prius hæc regula eſt, quam ad veritatem applicetur; nam niſi directa ſit, & directam eſſe ſciamus, incertæ erit & intutæ fidei: dirigi autem certo non poterit, niſi alia utamur regula, per quam exploremus an recta ſit prior iſthæc. At exploranda quoque erit ſecunda illa per tertiam aliquam, atque hæc per quartam. Ita infinita erit progreſſio. Hæc uberius explicavit Sextus Empiricus, homo peracutus & ſubtilis, quo nemo acrius Dogmaticorum confidentiam exagitavit. Nos rem ſtrictim tetigimus, ad inſtitutum ſatis; ad te, Vir erudite, fortaſſe nimis.

## IX.

QUicumque autem veritatem per Criterium aliquod attin-

gere ſe poſſe jactant, in eo conſentiunt evidentiam præterea requiri; perſpicuam videlicet & claram rerum perceptionem, ſive quæ per ſenſus fiat, ſive per rationem, ſive quocumque tandem modo. Adeo ut ad aliquid mente, puta, percipiendum, neceſſe ſit ut clara, diſtincta & evidens rei idea mente obverſetur. Tinniunt id Dogmatici omnes, neque intelligunt eo etiam abſtruſiorem ſe veritatem confiteri; ac duplex ad eam reperiendam ſe jam deſiderare Criterium, rei, puta, ideam, & ideæ evidentiam. At ſi tolletur omne Criterium, uti mox a me ſublatum eſt, tollitur quoque Criterii comes Evidentia. Adde id ſolum eſſe evidens, quod omnibus videatur evidens. Nam ſi unusquiſque id ſolum haberi vult evidens, quod ſibi evidens videtur, par erit veri & falſi evidentia: opinionum enim pugnantium evidentia utrimque teſtis citabitur. Nihil autem ita evidens eſt, ut omnibus appareat evidens: nulla eſt igitur evidentia. Atqui hic profecto mirari ſatis non poſſum

Philoſophorum imprudentiam; qui cum evidentiam penes ſe eſſe glorientur omnes, evidentiſſimum, illud non vident, perfidioſam hanc eſſe & fallacem evidentiam, quæ oppoſitarum partium adjutrix utrimque & patrona eſſe velit; nec certum ejus haberi poſſe patrocinium, quoad in unum conſpirent diſciplinæ omnes Philoſophorum. Tantumne vero ſibi arroget aliquis, ut quantumvis claras habeat & perſpicuas notiones rerum, ſolum ſe ſapere putet, reliquos omnes tamquam umbras vagari? Quid? annon & capiti eidem ſæpiſſime illudit evidentia? annon id falſum eſſe nunc ſenex clare percipit, quod olim verum eſſe evidenter agnoſcere ſe puer putabat? Præclarum hoc (1) Sophoclis:

Καὶ πνεῦμα ταὐτὸν οὔποτ' οὔτ' ἐν ἀνδράσι
Φίλους βέβηκεν, οὔτε πρὸς πόλιν πόλει.
Τοῖς μὲν γὰρ ἤδη, τοῖς δ' ἐν ὑστέρῳ χρόνῳ
Τὰ τερπνὰ πικρὰ, γίνεται, κ' αὖθις φίλα.

(1) Sophocl. Oedip. Tyran. v. 639. &c.

*Nec unquam idem animus vel inter viros*

 *Ami-*

*Amicos perstitit, vel urbi erga urbem.*
*Aliis enim statim, aliis vero sequenti tempore*
*Jucunda amara fiunt, & rursum grata.*

(1) Terent. Adelph. Act. v. Sc. 4.

Præclarum & illud (1) Terentii:

*Numquam ita quisquam bene subducta ratione ad vitam fuit,*
*Quin res, ætas, usus semper aliquid apportet novi,*
*Aliquid moneat; ut illa quæ te scire credas, nescias;*
*Et quæ tibi putaris prima, in experiundo repudies.*

Ecquamnam autem veriorum dicimus evidentiam, puerilem, virilem, an senilem? Quid? Dionysius ille Heracleota, qui quod dolore victus à Stoïcis ad Epicureos defecisset, μεταθεμένε cognomentum reportavit, an cum Stoïcus esset, tenebricosa ei omnia, obscura, & confusa videbantur? Jam in iis quæ videntur per somnum dormientibus, vel per vinum ebriis, vel per insaniam furiosis, eadem inest perspicuitas ac iis quæ vigilanti-

tibus, aut ſobriis, aut ſanis. Agnoſcunt quidem errore ſe fuiſſe deluſos, poſtquam ſomnum depulerunt, aut edormierunt villum, aut furere deſtiterunt; at cum ſomno aut vino aut furore capti tenerentur, id non agnoſcebant: dubitabant etiam nonnunquam vigilarentne an dormirent, & re apud ſe perpenſa vigilare ſe putabant, & viſis ut perſpicuis aſſentiebantur. Putaſne Argivum illum qui miros Tragædos audire ſe credebat, & in vacuo theatro plaudebat ſolus, non ſibi viſum eſſe actores fabularum recitantes clariſſime audire, & agentes evidenter ſpectare? Inſanorum omnium furores, formidines, impetus, fugæ, nonne indicia ſunt animi ſimulacris rerum, non evidenter ſolum ſed vehementer etiam & valide agitati? Annon per ſomnum appoſite quidam reſpondent ad quæſita, verſus fundunt elegantes, per tecta domorum cautiſſime incedunt? quæ ſane non facerent, niſi perſpicuis viſis moverentur. Qui nocturnis Magorum conventibus intereſſe ſe putant, nonne va-

nissimarum rerum imagines tam clare & distincte animo impressas gerunt, ut ne experrecti quidem somniasse se intelligant, tamque certo hæc vidisse se putent, ut qui secus sentiant, vere eos somniare, aut delirare arbitrentur. Cum ergo oblatæ per somnum imagines, quamtumvis claræ & perspicuæ, falsissimæ tamen sint, quî sciri potest (quod & in Theæteto ambigit Plato) annon vigilia nostra somnus alter sit, per quem menti visæ species rerum, quantalibet luce circumfusæ appareant, inanes tamen sint atque falsæ. Errant vero qui somniorum vanitatem hac præcipue nota deprehendi volunt, quod cum iis rebus non congruant, quas vigilantes egimus. Nam si forte congruant, indistincta erit utrorumque notitia: possunt autem congruere. Velut si quæ hesterno die amicis narravi, eadem iis narravi, eadem iis narrare proxima nocte somnians, visus sum latratu canis interpellari, dubitem experrectus postridie, hesternumne an nocturnum sermonem reipsa canis abrupe-

pe-

perit: ut incerti ſumus nonnumquam reſne quædam contigerint, an in quiete nobis viſa ſunt contigiſſe. Deinde ſi non congruant; cur potius falſa dicimus quæ in ſomnis, quam quæ experrecti cogitavimus? Nam cum falſitatis nota ſit diſcordia, & æque inter ea diſconveniat, ſuſpecta æque de falſitate habenda ſunt. Conſtat certe animi noſtri viſa oriri ex cerebri impulſione & ſpirituum ac fibrarum motu, ut dictum a me eſt: ac proinde perſpicuitatem obverſantium menti idolorum, quæ nihil aliud eſt quam certus quidam eorum modus, ab eadem cauſſa duci. Id ſi datur, quod negari non poteſt, dandum id quoque eſt, eodem modo impelli cerebrum poſſe, ita agitari fibras & ſpiritus per internas aliquas cauſſas, ut ſi objectis extrinſecus cauſſas commoverentur. Tam falſi igitur comes eſſe poteſt evidentia quam veri: neque in hac notæ ullæ inſunt, quibus ab illa internoſcatur; neque vero peti aliunde poſſunt, ſi modo verum eſt, quod ſciſcunt patroni evidentiæ, e-

videns esse per se, quidquid evidens est, neque extrinsecus ad sui confirmationem testimonium arcessere. Ita enim ad agnoscendam evidentiam opus esset alia evidentia, tamquam luce externa ad videndam lucem. Quemadmodum enim si quis in sacculo complures nummos gerat, quorum cæteri ærei sint, argenteus unicus; egeni vero aliquot, re cognita, nummos inde depromptos erogari postulent, ac speret unusquisque futurum se argentei nummi compotem; tum singulis per noctem in tenebris, singulos nummos largiatur distributor ille, ignorabit unusquisque an ad se nummus argenteus pervenerit: imo an omnino è sacco depromptus sit; ineptus vero erit, si quis aut ex sono, aut ex tactione digitorum, aut ex aliis quibusvis futilibus conjecturis certo se & perspicuè deprehendisse asseveret penes se esse numisma argenteum. Ineptiores etiam & risu digni, si idem de se sentiunt singuli; ac alios falli autument; nec nisi immissâ luce tolletur dissensio. Similis est Dogmaticorum error: den-

denſiſſimis obſepti tenebris, nummulos æreos manibus verſant ſinguli, nec ullis illorum eſt, qui non certiſſimis notis deprehendiſſe ſe jactet, æreum ſuum ac vilem nummum eſſe pretioſum illum, veritatem nimirum a Deo bonorum omnium datore ſibi traditam: qui non perſpicuitatem, evidentiam, claram & diſtinctam perceptionem luce meridiana clariorem crepet; qui non inſanire putet cæteros, idem de ſuis nummis ſentientes. Nec cæcam illam & obſcuram evidentiam meras eſſe tenebras ante intelligent, quam alicunde lux affulgeat.

## X.

SEd & aliud dubitandi argumentum ſubjicit nobis (1) Carteſius, cum ait in Meditationum ſuarum & Principiorum aditu, *Neſcire nos, an non fate nos tales creare voluerit Deus, ut ſemper fallamur, etiam in iis quæ nobis quam notiſſima apparent.* Digna Philoſopho dubitatio, ſi expediendæ hujus vias

(1) Carteſ. Medit. 1 & 6. Princip. parte 1 §. 5. & 13.

vias inire tentaſſet. Dignam dico Philoſopho, non Chriſtiano, qui Deum ſcit (1) *illuminare omnem hominem venientem in hunc mundum.* Verum illic Philoſophum agebat Carteſius, non Chriſtianum: & qui fingere ſe poſſe cenſuit nullum eſſe Deum, fingere is quoque potuit Deum nos errori obnoxios creaſſe. At dum novum veritatis indicem ſe gerit, à dubitatione Philoſophiam ſuam exorſus, cauſſiſque cur dubitandum ſit allatis, mox tamen quaſi monſtrata de cælo veritatis via, ita dubitare deſiit, ut ne rationes quidem, quibus ad dubitandum fuerat adductus, diſſolvere laborarit. Sed de hoc alias. Nunc id aio, tanti eſſe momenti dubitationem hanc ad animos noſtros ab omni aſſenſu ſuſtinendos, quamdiu ſola utemur Ratione, ut non modo eam non ſuſtulerit Carteſius, ſed omnino tolli non poſſe videatur, niſi Fidei ſubſidium imploret Ratio. Nam ſi quis hominem animal eſſe putet, ita conformatum a Natura, ut quod ei verum viſum ſit, id ſit falſiſſimum, quid-

(1) Joan. 1, 9.

quidquid contra hanc opinionem proponetur, vel falſum ei videbitur, vel verum; ſi falſum, id pro eo ac debebit reſpuet; ſi verum, cum talem ſe eſſe putet, ut quæ vera ſibi videntur, falſa ſint; falſa hæc quoque eſſe credit. Ita quidquid ad hanc ſibi eripiendam opinionem afferetur, facile obteret; nec ulla excogitari umquam poterit ratio, quæ non ſub hanc legem cadat, quidquid verum videtur homini falſum eſſe.

Cæterum cum ſatis ex ſuperioribus, tum vel maxime ex hoc dubitandi argumento ſubruitur arx illa unica, qua ſe tuentur Dogmatici, cum aiunt eſſe nobis intimam quamdam rerum plurimarum notitiam, quæ & ſi ratione non nititur, certa tamen & perſpicua eſt; hujuſmodi eſſe primorum principiorum notitiam; hujuſmodi notitiam illam, quâ me nunc vigilare ſcio; quippe etſi hæc argumentis & ratiocinatione probari non poſſunt, ſentiri tamen clariſſima quadam mentis perceptione certa ea eſſe. Nam ſi ita à Natura compara-

ratum eſt, ut quidquid mihi veriſſimum videtur, ſit falſiſſimum, profectò cùm intima perceptione ſcire ac ſentire me credidero totum eſſe majus ſua parte, vel me vigilare, hæc habebo pro falſiſſimis, ſi modo admiſſo ſemel dubitandi argumento ſtare voluero.

## XI.

Eodem redibit hæc quâ ad demonſtrandam Rationis infirmitatem uti poſſumus probatio. Quodcumque in patrocinium Rationis excogitari poteſt argumentum, fœtus eſt Rationis. Nihil autem certiſſimum proferre poteſt Ratio. Incertum ergo eſt quodcumque argumentum ad tuendam Rationem poteſt excogitari. Hinc ſequitur petere principium, quiſquis Ratione Rationem ſatagit defendere: argumenta enim à Ratione orta profert tamquam vera; cum hoc ipſum in quæſtione poſitum ſit, an aliquid veri à Ratione oriri poſſit.

## XII.

PErfricemus vero frontem, & quando dubitare cœpimus, pergamus ſtrenue dubitare, ad inſaniam uſque & deſperationem Dogmaticorum. Quidquid adverſum me probare inſtituerint, argumentum id efficere conabuntur. Mitto viſum eſſe pleriſque omne hoc argumentationum genus lubricum, incertum, fallax; inextricabiles Dialecticorum tricas, pedicas, inſidias, captioſa argumenta, quæ vera eſſe probent quæ falſiſſima eſſe conſtat; ac propterea excordis eſſe & inſulſi, iis habere fidem, quæ ſæpe fallant. Agam etiam benignius. Proferatur hujuſmodi argumentatio quæ certiſſima habeatur ab adverſariis; inanem eſſe oſtendam. Probare volunt Petrum eſſe animal rationale; ſic argumentantur. Omnis homo eſt animal rationale; Petrus eſt homo; Petrus igitur eſt animal rationale. Prior ſumtio quæ univerſalis eſt, ex eo fidem habet, quod ſinguli ho-

homines ſint animalia ratione prædita. Nam poſtquam obſervatum eſt hunc hominem eſſe animal rationis particeps, & illum quoque, & iſtum præterea; nec ullus deinde homo viſus eſt qui non eſſet animal rationale, ex hac veluti collectione & aggregato pronuntiatorum: quibus ſingulos homines eſſe animalia ratione prædita de finiverant, effloruit univerſale iſtud, Omnis homo eſt animal rationale: atque ita ſingularibus his pronuntiatis nititur fides iſtius univerſalis. Nunc in hac argumentatione, mutata vice ſingulare pronuntiatum incumbit univerſali, & alterum alterius opem poſcit. Nam ex eo colligitur Petrum eſſe animal rationale, quod omnis homo ſit particeps rationis. Ita fit vitioſum argumentationis genus quod διαλλήλον veteres appellabant. Præterea cum ſciam effatum eſſe Carteſii, Deum poſſe mutare naturas rerum; adeo ut res non ſint id quod ſunt, & vicenarius, puta, numerus non conflatus ſit ex duobus denariis, & homo non ſit animal ratio-

tionis particeps, (quod quam verum ſit jam non quæro) fieri poteſt ut homo alicubi ſit minimè ratione præditus. Proindeque falſa eſſe poteſt prior hæc ſumtio, Omnis homo eſt animal rationale. Jam igitur ex hoc exemplo cauſſam habemus, cur ſuſpecta nobis ſit reliquarum argumentationum fides: quo & nos acutiſſimæ aliorum probationes compellunt. Sed hæc leviter delibamus. Quamobrem, ſi ſapio, danda mihi opera eſt, ne deinceps fallat me fides argumentationum, quam ſæpius vanam expertus ſum, ac ne iis facile aſſentiar. Quod ſi me ita obfirmatum invadet Dogmaticorum agmen, quibus demum armis me diffidentia mea tectum oppugnare inſtituent? non aliis utique quam argumentationibus quas vulgo demonſtrationes vocant. Quæcumque enim adhibeatur probatio, cauſſa erit ejus vis, niſi argumentatione velut amento torqueatur. Omnem autem argumentationem ſub hanc ſuſpicionis legem à me latam venire neceſſe eſt.

XIII.

## XIII.

Ex dissensionibus quoque Dogmaticorum utilissimum sumitur argumentum ad eorum convincendam vanitatem: quo & adversus Medicos, quos Rationales vocabant, Empirici utebantur. Nam si nihil umquam ab ullo affirmatum est, quod non ab aliis negatum sit; si nullum illorum decretum est non controversum, ecquam affirmantibus iis adhibebimus fidem, quam cæteri ejusdem arrogantiæ consortes ipsis negant? Adeamus sectas eorum singulas, rogemusque quid de se, quid de aliis sentiant, veraces esse se confidenter jactabunt, cæteras fallaces. De hac ipsa cæteras consule; fallacem hanc ipsam, se veraces prædicabunt. Adeo ut unaquæque suffragio se tantum comico tueatur, nempe suo, cum universis adversariorum calculis damnetur. Prudentisne vero erit, id sequi quod uni placet, improbatur a plurimis?

## XIV.

ERgo quanta ſit mentis humanæ calligo, quantiſque in tenebris jaceant res homini circumfuſæ, cum perſpexiſſent ingenioſi homines & acuti, nec aliam ob cauſſam offendere ſæpius vulgus hominum, ac turpiter prolabi intellexiſſent, quam quod in profunda nocte, per ſalebras & intercisa ac prærupta loca, quaſi in plano & patenti campo ad meridianam lucem vagarentur, moderandum ſibi eſſe ac ſuſtinendum mentis impetum cenſuerunt. Præcipitem taque animum ad ſe ſe revocatum, x apud ſe eſſe velut adhibitis fræ- iis coactum, præjudicatis opinio- ibus liberarunt; corporis ſui men- iſque tum & exterarum rerum na- uram caute explorarunt, tentantes nnia, omnia circumſpicientes. Ac emum hanc eſſe unam vitandi er- ris artem experti ſunt, ſi aſſen- s retineretur. Hinc primum ex- tam eſſe Philoſophiam, atque in a velut dubitatione & imbecilli- tatis

tatis humanæ agnitione & conſcientia incunabula ſua habuiſſe. Ac tum ſane nihil ſtultum inter & intelligentem intererat, nihil indocto præſtabat Philoſophus, quam quod ſciret hic nihil ſe ſcire, idem hoc ille neſciret. Quamobrem ſi Philoſophiæ memoriam a primo ortu ad hanc ætatem replicemus, in tantis opinionum diſſidiis; ſi paucos aliquot excipias, in id unum conſenſiſſe reperiemus clariſſimos illos; uti à Seneca (1) appellantur, ſacrarum opinionum conditores prope omnes, quod obſcura ſint & ignota omnia, lateat veritas, ſenſus hominem & animi fallaces ſint & imbecilles. Nec hîc Homeri auctoritatem prætexam; quam tamen aſciſcunt Sceptici; vel quod ita ſolitum ſit à Veteribus fieri, de quacumque re quæreretur: tantum exiſtimationis conſecutus erat vir ſine controverſia maximus; vel quod eum quotidie lectitaviſſe Arceſilaum & Pyrrhonem, nec umquam de manibus depoſuiſſe accepiſſent. Nihilo magis ſeptem Sapientes commemorabo, quorum

(1) Senec. de brevit. vit. c. 14.

rum effatis dubitationis significationem contineri volunt. Ambitiosius hæc dicuntur, quam verius.

1. Unum tamen excipio Anacharsin, qui omne fertur sustulisse criterium, comprehensionem omnem, & Græcos qui aliter sentirent, reprehendisse.

2. Constat de Pherecyde à quo scriptum est, nec inesse veritatem in rebus, nec se eam novisse.

3. Visum idem est Pythagoræ, & ex adscriptis ipsi libris præcipuum hoc refertur effatum, nihil esse optandum cuiquam, quippe inscio quid sibi conducat. Probe itaque intelligens nullo humano studio posse ad sapientiam, quæ pendet ex notitia veritatis, perveniri, apud Leontem Phliasiorum principem professus est expertum se esse scientiæ, Deum unum esse sapientem, se tantum Sapientiæ studiosum.

4. Accepit id Empedocles à doctore Pythagora & tenuit, & angustas esse ad veritatem percipiendam sensuum semitas conquestus est.

5. Prodiit ex Empedoclis Schola Gorgias Leontinus princeps eorum qui olim dicti sunt Sophistæ. Scripsit is librum in tres partes distributum ; quarum prima ostendebat nihil esse: secunda, etiamsi sit aliquid, id ab homine percipi non posse: quippe nullam esse veritatis normam, non intellectum; non sensus; tertia, etiamsi ab homine percipi aliquid possit, id tamen alteri non posse explicari.

6. Acute quoque vidit eadem Xenophanes, qui inter Pythagoricos ponitur, firme comprehendi animo nihil posse, veritatis regulam esse nullam, non Rationem, non sensus; ex opinione omnia pendere. Atque hæc tam aperte prædicavit, ut primus doctrinæ hujus, falso licet, auctor creditus sit.

7. Epicharmus etiam, qui fuit ex eodem grege, cohibendum itidem esse assensum denuntiabat, neque temere credendum: hos esse nervos atque artus Sapientiæ.

8. Parmenides ille, qui magnus cognomento perhibetur (1) a Platone, temerarios appellabat & arro-

(1) Plato, Sophist.

rogantes, qui tribuerent sibi scientiam, quam homo consequi non possit.

9. Omne detraxit criterium Xeniades Corinthius, falsaque dixit esse omnia, falsa visa, opiniones falsas. Meminit Xeniadis hujus Democritus, ac propterea vix credi potest, & si plane negare non ausim, eumdem fuisse ac Xeniadem illum itidem Corinthium, qui Diogene servo usus est, eique superfuit: nam multis annis Diogeni, qui nonagenarius obiit, antecessit Democritus.

10. Celebratur & inter eos qui continendam esse rati sunt assensionem, Zeno Eleates, Eleaticæ sectæ parens: quam tamen a Xenophane manavisse, ac vetustiorem etiam ipso Xenophane fuisse gravissimus auctor prodit (1) Plato.

11. Annumeratur iis etiam Heraclitus.

(1) Plato, Sophist.

12. Annumeratur & Anaxagoras, qui circumfusa tenebris esse omnia definivit.

13. Ignorari rerum caussas statuebat Democritus; negabat esse

veri quicquam, aut si verum esset aliquid, negabat id nobis notum esse; negabat se scire sciretne aliquid, an nihil sciret: essetne aliquid, an nihil esset; tollebat omnem demonstrandi rationem; ac fertur illud ejus imprimis, Veritatem in profundo esse demersam.

14. Democriti auditor Protagoras, cognomine Sapientia dictus, nullam esse dixit veritatis regulam, nihil verum aut falsum: hominem homini plurimum interesse; neque quod huic videatur, idem alteri videri; neque rem ullam esse magis talem, quam talem; cumque de rebus singulis contraria & pugnantia disseri posse deprehendisset: ac de ipsa quoque re, an utrimque esset disputabilis, illum in utramque partem disputandi modum primus invexit.

15. Modum eumdem tenuit deinde Socrates, nobilissimus dubitandi auctor, & late propagavit: nam cum nihil scirent homines, neque tamen agnoscerent se nihil scire, id vero agnovit ille, nec quicquam scire professus est: ac prop-

propterea mortalium omnium ſapientiſſimum Apollinis oraculo dictum ſe putabat; quod id ſupremum ſapientiæ culmen videatur eſſe, ignorantiam ſuam agnoſcere. Sic igitur diſputabat de rebus omnibus quæ ſibi eſſent ad diſceptandum propoſitæ, quemadmodum ex diſſertationibus Platonis cognoſcimus, ut affirmaret nihil ipſe umquam, alios tantum qui affirmare quippiam eſſent auſi, refelleret. Quapropter inſcientiæ & inſipientiæ inſimulabatur ab adverſariis, quod interrogare ſoleret alios, nihil ipſe de re quapiam reſponderet; neque contradicebat ipſe, ſed expertem ſe ſcientiæ & ſapientiæ ſterilem eſſe fatebatur. Totum igitur ſe convertit ad Ethicam, relicto Phyſices ſtudio, diu primum & diligenter à ſe exculto, cum diceret ſuperare hanc captum humanæ mentis, ſeque ad eam ita eſſe ineptum, ut qui ſibi primum atque aliis item viſus eſſet ejus egregie peritus, demum ab illa excæcatus eſſet, quam & tandem dediſcere neceſſe habuerit; igitur ne id quidem ſci-

re ſe an homo eſſet, an aliud quippiam, & quid tandem eſſet. Scripſerunt nonnulli factum id ab eo, non quod ita de ſe ſentiret, ſed per ironiam, aut modeſtiæ cauſſa, & ad retundendam Sophiſtarum vaniloquentiam, qui nihil ignorare ſe, & de rebus omnibus paratos eſſe dicere, ſtolide gloriabantur. Id ſi fuiſſet, nec tam conſtanter perſeveraſſet in clara ignorationis ſuæ confeſſione, tum præſertim cum ad amicos graveſque viros diſſereret, nec ulla eſſet exagitandorum Sophiſtarum occaſio: nec tam convenienter opinioni huic pertractaſſet res ſingulas; nec ſententiam oraculi, Sapientiæ laudem ſibi tribuentis, tam perverſe ac contra conſcientiæ ſuæ teſtificationem eſſet interpretatus. Ex Socrate porro familiæ complures Philoſophorum proſeminatæ, quarum quæ nobiliſſima habita eſt, & Academia dicta, ſapientiſſimum hunc dubitandi morem, quaſi per manus traditum, non modo retinuit conſtanter, ſed amplificavit etiam, & numeris omnibus abſolvit.

16. Nam

16. Nam primum Academiæ pa-
ns Plato, ex hac Socratis aſ-
ſtatione ad dubitandum inſtruc-
is, & Socraticum ſe profeſſus,
cutus eſt eamdem differendi ra-
onem, & ſuperiores omnes Phi-
oſophos oppugnare inſtituit. Nec
n iis ſolum libris, quos Gymnaſti-
os appellant, ſed tum etiam cum
iffirmanti propior eſt, ſive Socra-
ti ſermonem tribuat, ſive alteri,
res non uti veras, ſed uti veriſimi-
les videtur proferre; ac decreti hu-
jus ſui meminiſſe, Diis Deorum-
que filiis relinquendam eſſe cogni-
tionem, ea perſequenda quæ pro-
babilia ſunt. Platonem ſecuti A-
cademici vagam illam & liberam
Philoſophiam, multiplici jam re-
rum cognitione onuſtam, intra cer-
tos lares continere tentarunt: for-
mulas ediderunt & deſcriptiones
quaſdam diſciplinæ, ſpretoque ju-
dicio Socratis parentis ſui, a quo
hæc minime probata fuerant, ſan-
xerunt diſcendi & docendi leges;
& dogmata etiam proponere auſi
ſunt.

17. Ancipites tamen Academi-

corum rationes diſputandi de rebus omnibus tenuit Ariſtoteles, & qui eum ſecuti ſunt Peripatetici: & libris ſuis pleriſque ac præcipue Metaphyſicis multa aſperſit, quæ etſi non intercluſos ad veritatis cognitionem aditus eſſe ſtatuant, dubitandum tamen & a dubitatione inchoandam eſſe docent veri diſquiſitionem; difficilesque eſſe ad id vias, & valde obſcuras; nec quicquam eſſe diſcriminis conſtantem inter opinionem & ſcientiam. Unde efficitur incertum eſſe quidquid ſciunt homines, cum nulla hominum opinio non incerta ſit.

18. Exſtitit deinde Arceſilas, nil affirmantis Academiæ clariſſimus antiſtes, quemadmodum à ſcriptore (1) veteri non ineleganter appellatur. Is intermiſſam temporibus ſuis Socraticam illam dubitationem de rebus omnibus, priſcumque cunctis ſemper adverſandi in diſputando modum, & quidquid maxime probabile occurreret, defendendi, nec ultra veriſimile progrediendi, tamquam jus moremque patrium revocavit. Ac præterea

(1) Pomp. Mela, l. 1. cap. 18.

erea cum adverſus pronuntiatum hoc Socratis, Unum hoc ſcio me nihil ſcire, grave hoc cudi poſſe cerneret argumentum, Scire igitur hominem poſſe aliquid, ſi vel hoc unum ſciret ſe nihil ſcire; ne illud quidem relictum a Socrate, velut imbecillitatis humanæ ſolatium admiſit, atque hoc ipſum ignorare nos decrevit, an nihil omnino ſciamus. Itaque certi nihil eſſe definivit, neque nobis à Natura datam normam ullam ſcientiæ, nihil veri percipi poſſe a ſenſibus aut ab animo, rebus ſingulis utrimque adjunctas eſſe æqualis momenti rationes oppoſitas, nec eſſe quicquam alio non tantum verius, ſed nequidem veriſimilius; latere omnia in tenebris; atque has ob cauſſas approbandum eſſe nihil, nihil affirmandum, ſemperque retinendam eſſe aſſenſionem. Quocirca necumquam ſcientiam ullam edebat ſuam, qui nulli cenſebat eſſe adhærendum; & ſi quam inſtituiſſet aliquis defendere, contra eam ſumma venuſtate & elegantia, ſumma quoque ſolertia & acumine diſ-

putabat. Cæterum qui in Philosophando aliud alio verius esse negaverat, aut verisimilius, cum ad communem vitæ redibat usum, quidquid animum aliquid probabilitatis specie percusserat, id sequebatur. Quæ cum defenderet, doctrinæ hujus auctor & inventor haberi nolebat, vir modestiæ singularis, eamque ad Socratem & Platonem, ad Parmenidem & Heraclitum referebat. Quamquam fuerat illectus in hanc factionem à Pyrrhone, cui relictis demum Theophrasto, Crantore, Diodoro, & Menedemo adhæserat. Pyrrhonius ergo vere fuit, & inter Scepticos ac Pyrrhonios positus est a Pyrrhoniis, etsi Academici nomen non est aspernatus. Non igitur Socraticæ disciplinæ ac veteris Academiæ restitutor solum, sed emendator etiam habendus est; ab eoque ortum habuit recentior Academia, longe firmioribus innixa radicibus, quam illa vetus. Quamvis autem multos habuerit auditores, parum tamen probata est ejus ratio; quod scientiæ lumen videre-

tur

ur extinguere, quod caliginem inducere mentibus, quod Philosophiam à fundamentis convellere.

19. Arcesilæ sectam solus propagavit Lacydes, quam per manus sibi traditam ad Evandrum, quem cum aliis plerisque assectatorem habuit, Evander ad Hegesimum, is ad Carneadam porro transmisit.

20. Huic etsi de omnibus non plane conveniebat cum Arcesila, ac propterea auctor dictus est novæ cujusdam Academiæ, quam tertiam appellarunt, summam tamen doctrinæ ipsius retinebat. Igitur numquam sententiam suam aperiens contra omne quod esset propositum disserebat copiose & acute. Attulerat enim ad studia Philosophiæ divinam ingenii vim, expromtam memoriam, summam facultatem dicendi, præclaram in Dialecticis exercitationem. Mirabiles itaque fiebant ad eum hominum concursus, summoque favore a Romanis exceptus est, tum cum ad Senatum magnis de rebus missus est ab Atheniensibus, Critolao Peripateti-

co & Diogene Stoïco clarissimis illius ætatis Philosophis comitatus. Tunc primum Romæ cognita est Eloquentiæ vis & dignitas Philosophiæ: & nobilis illa juventus, quæ jam tum orbis imperium meditabatur, egregiæ hujus disciplinæ quam tradebat Carneades, novitate & specie delinita, tanto in eum ferebatur studio, ut Cato æquus cæteroquin & solers æstimator rerum, sed asper & subagrestis, & artibus humanitatis non satis excultus, ut tunc erant mores Romanorum, inusitatam hanc eruditionem, quæ quidquid vellet persuaderet & impetraret, suspectam habuerit; legatosque postulatorum compotes factos, honorifice quamprimum dimittendos censuerit. Certe ita erat; nam quidquid rationibus suis susceperat impugnandum, facile prosternebat; quidquid defendere instituerat, obtinebat; vix ut eum sustinerent Stoïci acutum genus hominum & controversum, cum quibus acris ei, itidem ut Arcesilæ, ac frequens contentio fuit. Permansit autem, ut dixi, in ratione Ar-

Arcesilæ, si leves quasdam exceperis dissensiones de norma veritatis, de ἀκαταληψίᾳ, de incerto, de retinendo assensu. Afferebat enim nova multa in id argumentum, sed ita tamen ut regulam esse scientiæ, comprehendi nihil posse, sequendam in vita probabilitatem; opinione non naturâ omnia constituta esse doceret; tantaque versari homines in veritatis ignoratione; tanta rerum obscuritate; ut ne iis quidem assentiri vellet principiis, quæ clarissima & naturali luce perspicua viderentur; cujusmodi illud est, æquales esse res duas, quæ alterius æquales sint. At Stoïci quos insectabatur, cum ad minuendam ejus existimationem nihil eum ex proprio penu depromtum, nihil a se excogitatum adversum se attulisse dicerent; sed ex Chrysippi libris instructum prodiisse, pro modestia sua fatebatur se, absque Chrysippo esset, futurum fuisse nullum, ipsisque Chrysippi armis contra Chrysippum certare. Etenim ad refellendam Academicorum dubitationem & ἐποχὴν argumenta (omnia

protulerat Chryſippus, non ſolum quibus eam ſolerent defendere, ſed etiam quibus poſſent: verum cum ea accurate diſſolvere inſtituiſſet deinde, nihilque ad frangendam illorum vim eſſet ab eo prætermiſſum, tum vero facile apparuit, quantum cauſſa ſuperiores eſſent Academici, cum armatus horum rationibus adverſarius longe viſus eſſet robuſtior, quam cum refellendas eaſdem & oppugnandas ſuſcepiſſet. Quamobrem Chryſippus vi ſua ſibi nocuit, & Carneadi tela in perniciem ſuam ſubminiſtravit.

21. Hic porro multum diuque floruit, clariſſimoſque viros habuit auditores; in his Clitomachum Pœnum, quem patria Philoſophia jam imbutum, Græca præterea inſtruxit, & ſucceſſorem habuit, & in inſtituenda tertia Academia ſocium. Pollebat hic acumine ingenii, gnavus erat ac diligens, cumque ad ſenectutem fuiſſet cum Carneade qui nihil ſcriptum reliquerat, omnia ejus dicta, facta, ac cogitata retulerat in litteras; erant ta-

tamen de quibus quid ipsi probaretur, numquam intelligere se potuisse dicebat. Ita assueverat Carneades etiam cum familiaribus nihil affirmare. Porro nulla re discrepabat ab eo Clitomachus: nam sustineri jubebat assensus, quod nihil percipi posset; spectari probabilia, ab hisque ad actionem excitari, dum sine assensu; quod probabilia multa falsa sint, neque habeant ullam veri notam quæ non in falsis esse possit. Atque hæc, non ut sua propria, sed ut Academiæ scita referebat. Exstabant quatuor ejus libri de Sustinendis assensionibus, quos utinam haberemus.

22. Discipulum habuit Philonem, qui quod in nonnullis à Carneadis & Clitomachi dictatis recessisset, princeps & auctor quartæ Academiæ cum Charmide appellari meritus est. Aiebat enim res licet natura sua percipi possent, minime tamen percipi posse per innatam nobis facultatem percipiendi visa animo nostro objecta, ac proinde nihil à nobis comprehendi posse.

23 Quintam deinde Academiam condidit Antiochus. Dederat is Philoni operam multos annos, ac Carneadeam doctrinam defensitaverat: peracutus enim erat & perpolitus; sed descivit demum senex a magistris; sive ita persuasus à Mnesarcho Stoïco quem audiverat, sive quod infinitis Dogmaticorum Philosophorum vexationibus impar animum desponderit; sive quod illectus ad aucupium gloriæ, disciplinam ex se vocabulum habere voluerit, & esse qui Anthiochii appellarentur. Jactabat ille tamen se rediisse ad veteres Academicos, cum revera ad Stoïcos transiisset: nempe ad eluendam levitatis notam, & quod ita honorificum sibi esse sensisset Academiæ nomen, ut ex ea exiisse credi nollet. Transtulerat itaque ex Porticu in Academiam decreta Stoïcorum, quorum & Platonem auctorem haberi volebat, disciplinam Stoicorum haudquaquam novam, sed veteris Academiæ correctionem esse dicens. Oppugnavit etiam libro edito præceptorem suum Philonem, vel se po-

potius ipſum: quæ enim tum refellere conabatur ſenex, jam ante docuerat diu, & eruditis quoque ſcriptionibus approbaverat. Quod cum faceret, recentioris Academiæ quam impugnabat doctrinam ipſa re confirmabat, inconſtantia ſua declarans incerta eſſe & vaga hominum ad veritatem cognoſcendam judicia; nec ſatis umquam conſtare ipſis, utrum ſcire aliquid poſſent nec ne. Nihil igitur fuit aliud quinta hæc Academia, quam concretio quædam Academiæ veteris & Stoicæ Philoſophiæ; vel Stoica potius Philoſophia habitum & titulos gerens veteris Academiæ, ejus dico, quæ Platonem inter & Arceſilaum viguit. Dubitare enim deſierant Stoici; ubi deſitum quoque eſt ab Antiocho, cujus dogmata exſtant; quique propterea nec Platonicus germanus, nec Socraticus fuit.

24. Porro cum Romam veniſſet Philo, Mitridatico bello coactus Athenas deſerere, dedit ſe ei in diſciplinam Cicero, & totam novæ Academiæ rationem ex eo cognovit;

vit; ac veteris deinde præceptis ab Antiocho per ſex menſes eſt inſtitutus, cum Athenas veniſſet: & poſtquam honoribus inſervire cœpit, ne tum quidem intermiſit ſtudia Sapientiæ, & domus ejus ſummorum Philoſophorum contubernio floruit. Ac perdiu quidem manſit in veteri Academia, poſtquam in eam ſemel inductus fuerat ab Antiocho: quoad meditatione, ſtudio, & uſu rerum, doctior factus, Philonis dictata repetiit: cumque ex nova Academia Antiochus tranſiiſſet in veterem, is contra ex vetere Academia migravit in novam, quam & præclaris & numquam ſatis laudandis ſcriptionibus illuſtravit. Ita autem uſus eſt Sectæ hujus licentia, ut opiniones pro re nata mutare non puderet, ac præ ſe etiam ferret ſe liberum eſſe, ſe vivere in diem, ſe ea ſequi quæ probabilitate animum ſuum commoviſſent. Cæterum hoc philoſophandi genus probatum Academicis, ut minime arrogans, maximeque & conſtans & elegans, palam ac ſæpe laudabat; nec pronuntiare veritus

eſt

eſt de aliarum Sectarum Philoſophis, nihil tam abſurde dici poſſe; quod non aliquis dicat Philoſophus.

25. Atrocius etiam Varro in Eudæmonibus, neminem ægrotum ait quicquam ſomniare tam infandum, quod non ab aliquo Philoſopho dictum ſit. Antiochi præceptis imbutus fuerat Togatorum ille doctiſſimus. Nec dubito quin in ea Satyra, cui titulum fecerat *Eumenides*, & qua probare inſtituerat omnes inſanire, multa collegerit argumenta, quibus oſtenderet nullam ineſſe in mentibus humanis veri notitiam. Antiochum audiverat & M. Piſo, audiverant & alii multi; præcipue vero Lucullus, qui & gloria rerum geſtarum, & ingenii elegantia, & liberalium doctrinarum ſtudiis valde claruit Secum ille Antiochum & Quæſtor & deinde Imperator habuit, factuſque ab eo eſt veteris Academiæ ſtudioſus; quemadmodum ab Ariſto, qui fuit Antiochi frater, M Brutus vir maximus. Atque hi cæterique Antiochi diſcipuli intra priſcæ hujus

Aca-

Academiæ septa se continuerunt. Porro cum Romæ florerent his temporibus studia Philosophiæ, orba propemodum erat Academia in ipsa Græcia, quæ tum oppressa armis Romanorum, & bellorum motibus continenter agitata, non tam veritatis perceptioni, quam saluti studebat.

26. At longe ante Arcesilam magna sumserat incrementa emendata illa dubitandi disciplina, quæ non modo inscitiam, sed ipsius inscitiæ inscientiam profitetur.

27. Nam Metrodorus Chius ex Democriti exhedra profectus, vel Nassæ Chii, ut aliis placet, ejus qui a Protagora Democriti discipulo institutus est, operis sui de Natura aditum hoc decreto insignivit: Nemo nostrum scit quicquam, ac ne hoc quidem, sciamusne aliquid an non. Atque hinc dictus est omne Criterium sustulisse.

28. Sustulit & Anaxarchus Abderites Democriteæ doctrinæ defensor, Eudæmonicus cognomento dictus, propter constantiam animi & morum facilitatem. Quamobrem

brem, honos ei habitus eſt ab Alexandro, cujus in comitatu fuit. Suſtulit is, inquam, Criterium, nihilo plus nos animo res perſpicere dicens, ac eos qui ſomno tenentur, vel inſania; res vero ipſas ut animo noſtro objectæ ſunt, ſimiles eſſe depictæ tabellæ, quæ adumbratam deſcriptionem rerum, non res ipſas exhibeat; nihil denique ſe ſcire, atque id ipſum ſe neſcire, ſciret ne aliquid: quod a doctore ſuo Metrodoro acceperat.

29 Hactenus ad ſummum pene pervenerat ars dubitandi, & infirmitatis ac obſcuritatis convicta humana mens tenebatur, cum Pyrrho Elide ortus ſummam diſciplinæ huic manum impoſuit. Etenim perlectis Democriti & Metrodori libris Anaxarchum ſecutus in Indiam, cum Magis & Gymnoſophiſtis congreſſus eſt: tum in patriam reverſus eximiam quamdam ἀκαταληψίας rationem invexit. Nam cum acute perſpexiſſet veteres ſuam rerum omnium ignorationem, ac ignorationis quoque hujus ignorationem confeſſos, eum tamen tenere

nere modum philosophandi, qui aliqua velut comperta sumeret, ac tamquam certa affirmare videretur, hunc demum in eam redegit formam quæ nullis Dogmaticorum cavillationibus esset obnoxia. Nihil ipse quidem scriptis tradidit, at discipulos habuit, atque hi porro alios, qui doctrinam hanc consignarunt literarum monumentis, quorum aliqua exstant ad hanc diem, totamque disciplinæ hujus rationem continent. Quamobrem pluribus nihil attinet eam hic referre. Id satis esto, nullam veritatis normam admisisse Pyrrhonicos, nullam argumentationem, signum nullum, nihil eos affirmasse, nihil definivisse, nihil opinatos esse; nullam rem existimasse id esse potius quam illud, argumentis singulis æqualia esse opposita, nullam rationem alteri præferendam, nihil esse veri, moribus omnia & institutis administrari: atque hæc cum dicerent, non affirmandi sed contradicendi caussa dixisse. Omnia enim sectarum omnium dogmata subvertebat Pyrrho, atque ideo sua illa enun-

enuntiata aiebat se ipsa involvere & perimere; nec cum diceret nihil posse percipi, hoc ipsum se putabat percepisse, sed ne id quidem percipi posse: proindeque ex hoc pronuntiato, Nihil potest percipi, quod universale est, ne id ipsum pronuntiatum excludi, & propterea simile esse medicamentorum, quæ alvo concepta, non sordes solum, sed se ipsa quoque foras expellunt. Cæterum cum veritatem percipi posse desperaret Pyrrho, acquievit in apparentibus, iisque pro Criterio in communi vitæ usu adhærendum, legibusque ac consuetudini & naturalibus affectionibus citra ullam opinationem obsequendum judicavit. Finem vero quem sibi attingendum proposuerat, tranquillitatem scilicet mentis quæ ἀταραξία dicitur, cum rerum naturam explorando & perscrutando attingere non posset, assensionibus retinendis fortuito consecutus est. Externa quoque illa quæ a homines incurrunt, & mala vulo habentur, frigus, puta, famem, sitim, aliaque hujusmodi, quo-

quoniam non pendent ex opinationibus, id quod fuit in sua potestate præstitit, haudquaquam statuens an mala essent: quo detracto judicio, longe, moderatius ea ferebat. Ergo valde laudata est hominis firmitas & in summis periculis constantia. Tantum autem ab eo abfuit, ut nihil vitaret, declinaret nihil, non obvios currus, non morsus canum, non prærupta loca, vel ut fugeret hominum congressus, & solivagus erraret; vel ut in eodem statu immobilis perseveraret; quæ adversantur huic eorum legi consuetudinibus & naturalibus affectionibus morem esse gerendum, quæque ridiculi caussa a vanis hominibus & doctrinæ hujus ignaris conficta sunt, ut potius cum decore & dignitate vixerit inter cives suos, magnosque honores & supremum etiam Pontificatum gesserit in Patria, a qua & Philosophis omnibus immunitas ejus gratia concessa sit; ab Atheniensibus etiam fuerit civitate donatus. Fertur etiam decem aureorum millia dono accepisse ab Alexandro, cum primum ad eum

sive

ſive ſalutandi cauſſa adiit, ſive poematis offerendi, quod in eum ſcripſerat. Valde eum mirabatur Epicurus, qui & ſuper ejus moribus & conſuetudine vitæ multa rogitare ſolebat. At, dices, indoctus ab eo appellatus eſt. Quem vero Philoſophorum maledictis non fixit Epicurus? qui ne Democrito quidem pepercit, ex cujus fontibus hortulos ſuos irrigaverat; nec Nauſiphani Teio doctori ſuo, Pyrrhonis diſcipulo; indoctus ipſe & liberalium diſciplinarum rudis, ac earum ſtudioſos inſectari ſolitus, quaſi nihil conferrent ad ſapientiam, re ipſa ut imperitiam ipſe ſuam ſimulato contemtu tegeret. Pyrrho autem, non tam quod literis leviter eſſet tinctus (fuit enim, nec negamus, & id ipſum diſerte tradit (1) Cicero) quam quod nihil ſcire ſe, neque quicquam ſcire poſſe agnoſceret, illiterati & imperiti notam ſibi inuſſit. Cum alioqui viri omnibus doctrinis abunde inſtructi ex ejus Schola prodierint. Ab aliis quoque contumelioſiſſime vexatum leges; at non tam, ut videtur, doc-

(1) Cicero lib. III. de Finibus.

toris odio, quam doctrinæ, quæ rerum omnium notitiam tollebat. At contra fuit in magna apud Vulgus existimatione; immensis, uti fit, laudibus exornatus est à discipulis quos multos habuit; præcipue à Timone Phliasio, qui ingenium ejus, subtilitatem & acumen in disputando, constantiam quoque & ἀταραξίαν, tum & modestiam mirifice prædicat, eumque solem non dubitat appellare: nec mortalium ullum æquiparare eum posse scribit. Hic est juxta conjecturam Pocockii quem Arabes Phurun appellant, & ut rerum Græcarum sunt ignari, Thaletis & Pythagoræ præceptorem fuisse volunt. Quasi Græcam omnem Philosophiam quæ in duas sectas Ionicam & Italicam, divisa est, una Pyrrhonis disciplina complexa sit. Hanc qui secuti sunt Pyrrhonii ab eo sunt dicti: & Sceptici, quod rationum momenta perpenderent: & Ephectici, quod retinerent assensum: & Zetetici, quod veritatem inquirerent: & Aporetici, quod dubitarent de rebus omnibus. Ab his

his instructus Arcesilas ad emendandam veterem Academiam & novam constituendam se accinxit. Nam & Pyrrhonem fertur esse imitatus, & cum Timone conversatus. Adeo ut Pyrrhonis ἐποχὴν cum eleganti Platonis ornasset doctrina, Diodori vero Dialectica armasset, facete in eum Aristo detorserit Homeri versiculum de Chimæra; quæ ut antica parte leo, postica draco, media chimæra (id est, capra) Chimæra esse dicta est; sic ille fronte esset Plato, tergo Pyrrho, media parte Diodorus. Quapropter ponitur in numero Scepticorum à nonnullis, & vix quicquam interesse putat Sextus Empiricus suam inter quæ Sceptica est, & Arcesilai sive mediæ Academiæ disciplinam.

30. Etsi vero satis erat ad institutum demonstrasse veterum Philosophorum clarissimos mentis humanæ tenuitatem & imbecillitatem habuisse perspectam, quod jam fecimus & mox facere pergemus, operæ pretium tamen facturus mihi videor ostendere, quid a vetusta

vit ; ac veteris deinde præceptis ab Antiocho per ſex menſes eſt inſtitutus, cum Athenas veniſſet : & poſtquam honoribus inſervire cœpit, ne tum quidem intermiſit ſtudia Sapientiæ, & domus ejus ſummorum Philoſophorum contubernio floruit. Ac perdiu quidem manſit in veteri Academia, poſtquam in eam ſemel inductus fuerat ab Antiocho : quoad meditatione, ſtudio, & uſu rerum, doctior factus, Philonis dictata repetiit : cumque ex nova Academia Antiochus tranſiiſſet in veterem, is contra ex vetere Academia migravit in novam, quam & præclaris & numquam ſatis laudandis ſcriptionibus illuſtravit. Ita autem uſus eſt Sectæ hujus licentia, ut opiniones pro re nata mutare non puderet, ac præ ſe etiam ferret ſe liberum eſſe, ſe vivere in diem, ſe ea ſequi quæ probabilitate animum ſuum commoviſſent. Cæterum hoc philoſophandi genus probatum Academicis, ut minime arrogans, maximeque & conſtans & elegans, palam ac ſæpe laudabat ; nec pronuntiare veritus

eſt

eſt de aliarum Sectarum Philoſophis, nihil tam abſurde dici poſſe; quod non aliquis dicat Philoſophus.

25. Atrocius etiam Varro in Eudæmonibus, neminem ægrotum ait quicquam ſomniare tam infandum, quod non ab aliquo Philoſopho dictum ſit. Antiochi præceptis imbutus fuerat Togatorum ille doctiſſimus. Nec dubito quin in ea Satyra, cui titulum fecerat *Eumenides*, & qua probare inſtituerat omnes inſanire, multa collegerit argumenta, quibus oſtenderet nullam ineſſe in mentibus humanis veri notitiam. Antiochum audiverat & M. Piſo, audiverant & alii multi; præcipue vero Lucullus, qui & gloria rerum geſtarum, & ingenii elegantia, & liberalium doctrinarum ſtudiis valde claruit Secum ille Antiochum & Quæſtor & deinde Imperator habuit, factuſque ab eo eſt veteris Academiæ ſtudioſus; quemadmodum ab Ariſto, qui fuit Antiochi frater, M Brutus vir maximus. Atque hi cæterique Antiochi diſcipuli intra priſcæ hujus Aca-

Academiæ ſepta ſe continuerunt. Porro cum Romæ florerent his temporibus ſtudia Philoſophiæ, orba propemodum erat Academia in ipſa Græcia, quæ tum oppreſſa armis Romanorum, & bellorum motibus continenter agitata, non tam veritatis perceptioni, quam ſaluti ſtudebat.

26. At longe ante Arceſilam magna ſumſerat incrementa emendata illa dubitandi diſciplina, quæ non modo inſcitiam, ſed ipſius inſcitiæ inſcientiam profitetur.

27. Nam Metrodorus Chius ex Democriti exhedra profectus, vel Naſſæ Chii, ut aliis placet, ejus qui a Protagora Democriti diſcipulo inſtitutus eſt, operis ſui de Natura aditum hoc decreto inſignivit: Nemo noſtrum ſcit quicquam, ac ne hoc quidem, ſciamuſne aliquid an non. Atque hinc dictus eſt omne Criterium ſuſtuliſſe.

28. Suſtulit & Anaxarchus Abderites Democriteæ doctrinæ defenſor, Eudæmonicus cognomento dictus, propter conſtantiam animi & morum facilitatem. Quamobrem

brem honos ei habitus eſt ab Alexandro, cujus in comitatu fuit. Suſtulit is, inquam, Criterium, nihilo plus nos animo res perſpicere dicens, ac eos qui ſomno tenentur, vel inſania; res vero ipſas ut animo noſtro objectæ ſunt, ſimiles eſſe depictæ tabellæ, quæ adumbratam deſcriptionem rerum, non res ipſas exhibeat; nihil denique ſe ſcire, atque id ipſum ſe neſcire, ſciret ne aliquid: quod a doctore ſuo Metrodoro acceperat.

29 Hactenus ad ſummum pene pervenerat ars dubitandi, & infirmitatis ac obſcuritatis convicta humana mens tenebatur, cum Pyrrho Elide ortus ſummam diſciplinæ huic manum impoſuit. Etenim perlectis Democriti & Metrodori libris Anaxarchum ſecutus in Indiam, cum Magis & Gymnoſophiſtis congreſſus eſt: tum in patriam reverſus eximiam quamdam ἀκαταληψίας rationem invexit. Nam cum acute perſpexiſſet veteres ſuam rerum omnium ignorationem, ac ignorationis quoque hujus ignorationem confeſſos, eum tamen tenere

nere modum philoſophandi, qui aliqua velut comperta ſumeret, ac tamquam certa affirmare videretur, hunc demum in eam redegit formam quæ nullis Dogmaticorum cavillationibus eſſet obnoxia. Nihil ipſe quidem ſcriptis tradidit, at diſcipulos habuit, atque hi porro alios, qui doctrinam hanc conſignarunt literarum monumentis, quorum aliqua exſtant ad hanc diem, totamque diſciplinæ hujus rationem continent. Quamobrem pluribus nihil attinet eam hic referre. Id ſatis eſto, nullam veritatis normam admiſiſſe Pyrrhonicos, nullam argumentationem, ſignum nullum, nihil eos affirmaſſe, nihil definiviſſe, nihil opinatos eſſe; nullam rem exiſtimaſſe id eſſe potius quam illud, argumentis ſingulis æqualia eſſe oppoſita, nullam rationem alteri præferendam, nihil eſſe veri, moribus omnia & inſtitutis adminiſtrari: atque hæc cum dicerent, non affirmandi ſed contradicendi cauſſa dixiſſe. Omnia enim ſectarum omnium dogmata ſubvertebat Pyrrho, atque ideo ſua illa enun-

enuntiata aiebat ſe ipſa involvere & perimere; nec cum diceret nihil poſſe percipi, hoc ipſum ſe putabat percepiſſe, ſed ne id quidem percipi poſſe: proindeque ex hoc pronuntiato, Nihil poteſt percipi, quod univerſale eſt, ne id ipſum pronuntiatum excludi, & propterea ſimile eſſe medicamentorum, quæ alvo concepta, non ſordes ſolum, ſed ſe ipſa quoque foras expellunt. Cæterum cum veritatem percipi poſſe deſperaret Pyrrho, acquievit in apparentibus, iiſque pro Criterio in communi vitæ uſu adhærendum, legibuſque ac conſuetudini & naturalibus affectionibus citra ullam opinationem obſequendum judicavit. Finem vero quem ſibi attingendum propoſuerat, tranquillitatem ſcilicet mentis quæ ἀταραξία dicitur, cum rerum naturam explorando & perſcrutando attingere non poſſet, aſſenſionibus retinendis fortuito conſecutus eſt. Externa quoque illa quæ in homines incurrunt, & mala vulgo habentur, frigus, puta, famem, ſitim, aliaque hujuſmodi, quo-

quoniam non pendent ex opinationibus, id quod fuit in sua potestate præstitit, haudquaquam statuens an mala essent: quo detracto judicio, longe, moderatius ea ferebat. Ergo valde laudata est hominis firmitas & in summis periculis constantia. Tantum autem ab eo abfuit, ut nihil vitaret, declinaret nihil, non obvios currus, non morsus canum, non prærupta loca, vel ut fugeret hominum congressus, & solivagus erraret; vel ut in eodem statu immobilis perseveraret; quæ adversantur huic eorum legi consuetudinibus & naturalibus affectionibus morem esse gerendum, quæque ridiculi caussa a vanis hominibus & doctrinæ hujus ignaris conficta sunt, ut potius cum decore & dignitate vixerit inter cives suos, magnosque honores & supremum etiam Pontificatum gesserit in Patria, a qua & Philosophis omnibus immunitas ejus gratia concessa sit; ab Atheniensibus etiam fuerit civitate donatus. Fertur etiam decem aureorum millia dono accepisse ab Alexandro, cum primum ad eum sive

ſive ſalutandi cauſſa adiit, ſive poematis offerendi, quod in eum ſcripſerat. Valde eum mirabatur Epicurus, qui & ſuper ejus moribus & conſuetudine vitæ multa rogitare ſolebat. At, dices, indoctus ab eo appellatus eſt. Quem vero Philoſophorum maledictis non fixit Epicurus? qui ne Democrito quidem pepercit, ex cujus fontibus hortulos ſuos irrigaverat; nec Nauſiphani Teio doctori ſuo, Pyrrhonis diſcipulo; indoctus ipſe & liberalium diſciplinarum rudis, ac earum ſtudioſos inſectari ſolitus, quaſi nihil conferrent ad ſapientiam, re ipſa ut imperitiam ipſe ſuam ſimulato contemtu tegeret. Pyrrho autem, non tam quod literis leviter eſſet tinctus (fuit enim, nec negamus, & id ipſum diſerte tradit (1) Cicero) quam quod nihil ſcire ſe, neque quicquam ſcire poſſe agnoſceret, illiterati & imperiti notam ſibi inuſſit. Cum alioqui viri omnibus doctrinis abunde inſtructi ex ejus Schola prodierint. Ab aliis quoque contumelioſiſſime vexatum leges; at non tam, ut videtur, doc-

(1) Cicero lib. III. de Finibus.

E toris

toris odio, quam doctrinæ, quæ rerum omnium notitiam tollebat. At contra fuit in magna apud Vulgus existimatione; immensis, uti fit, laudibus exornatus est à discipulis quos multos habuit; præcipue à Timone Phliasio, qui ingenium ejus, subtilitatem & acumen in disputando, constantiam quoque & ἀταραξίαν, tum & modestiam mirifice prædicat, eumque solem non dubitat appellare: nec mortalium ullum æquiparare eum posse scribit. Hic est juxta conjecturam Pocockii quem Arabes Phurun appellant, & ut rerum Græcarum sunt ignari, Thaletis & Pythagoræ præceptorem fuisse volunt. Quasi Græcam omnem Philosophiam quæ in duas sectas Ionicam & Italicam, divisa est, una Pyrrhonis disciplina complexa sit. Hanc qui secuti sunt Pyrrhonii ab eo sunt dicti: & Sceptici, quod rationum momenta perpenderent: & Ephectici, quod retinerent assensum: & Zetetici, quod veritatem inquirerent: & Aporetici, quod dubitarent de rebus omnibus. Ab

his

his inſtructus Arceſilas ad emendandam veterem Academiam & novam conſtituendam ſe accinxit. Nam & Pyrrhonem fertur eſſe imitatus, & cum Timone converſatus. Adeo ut Pyrrhonis ἐποχὴν cum eleganti Platonis ornaſſet doctrina, Diodori vero Dialectica armaſſet, facete in eum Ariſto detorſerit Homeri verſiculum de Chimæra; quæ ut antica parte leo, poſtica draco, media chimæra (id eſt, capra) Chimæra eſſe dicta eſt; ſic ille fronte eſſet Plato, tergo Pyrrho, media parte Diodorus. Quapropter ponitur in numero Scepticorum à nonnullis, & vix quicquam intereſſe putat Sextus Empiricus ſuam inter quæ Sceptica eſt, & Arceſilai ſive mediæ Academiæ diſciplinam.

30. Etſi vero ſatis erat ad inſtitutum demonſtraſſe veterum Philoſophorum clariſſimos mentis humanæ tenuitatem & imbecillitatem habuiſſe perſpectam, quod jam fecimus & mox facere pergemus, operæ pretium tamen facturus mihi videor oſtendere, quid a vetuſta

Academia discrepuerit recentior, quid ab utraque Pyrrhonismus. Fuerunt qui dicerent unicam esse Academiam. Id ut probaret librum scripserat Philo ille princeps Academiæ quæ quarta appellata est: scripserat & Plutarchus. Atque id ita verum est, si neglectis dissensionibus, ad hoc doctrinæ totius Academicæ fundamentum attendatur, quod a Socrate positum est, nihil scire hominem. Quemadmodum enim ex unico trunco erumpentes rami & in diversa abeuntes, non tamen multiplicem arborem efficiunt, ita ex hoc Socraticæ doctrinæ trunco prodeuntes tot Academiæ, etsi divortio facto divaricantur, unicam tantummodo Academiam constituunt. Verum si pressius & acuratius rem velimus disputare, hujusmodi est discrimen, quod veterem inter & novam Academiam interest, ut merito duplex habenda sit. Nam cum dixit Socrates id unum scire se quod nihil sciret, aliquid se scire professus est; ac proinde scire certo aliquid homi-
nem

nem posse credidit. Contra vero incertum id reliquit Arcesilas. Atque hoc sane capitale est & inexpiabile dissidium, cum censent hi scire aliquid posse hominem, illi contra nihil scire posse. Quæ vero ad dogma Arcesilæ adhibita est à Carneade & Philone interpolatio, perlevis est ac fere nulla. Nam quod dixit Arcesilas in rebus nihil inesse veri, Carneades contra veri aliquid in rebus esse non negavit, at normam ejus internoscendi nos habere negavit, facile hæc conveniunt. Nam cum duplex sit veritas, juxta partitionem Scholæ; altera quæ *existentiæ* dicitur, altera quæ *judicii*; manifestum est de veritate *judicii* id pronuntiatum ab Arcesila & Carneade. Nam quomodo de veritate *existentiæ* scire quippiam & affirmare potuissent homines qui nihil sciri, nihil affirmari posse credebant? At veritas *judicii* est τῶν πρός τι, hoc est, earum rerum quæ non solitariæ spectantur, sed quatenus referuntur ad alias; veritas autem judicii rerum refertur ad mentem nostram.

Ergo cum dixit Arcesilas in rebus nihil esse veri, id sibi voluit, nihil inesse in rebus, quod mens humana certo possit cognoscere, atque hoc ipsum est quod definitum est à Carneade. Aiebat præterea Arcesilas nihil percipi posse, omnia esse ἄδηλα, hoc est, obscura & non manifesta: sic enim melius reddetur vocabulum hoc, quam si exponas *incerta*, uti factum est à Cicerone. Carneades vero fatebatur nihil esse quod percipi posset; sed non proinde omnia esse obscura concedebat; quippe res probabiles, quibus jubebat sapientem adhærere, non esse obscuras. At nulla illic inest rerum discrepantia, etsi videtur inesse aliqua verborum. Arcesilas enim res ita obscuras esse volebat, ut percipi non possent; non ita ut probabiles vel improbabiles non essent. Quod item videbatur Carneadi; nec enim negabat res ita esse obscuras ut percipi non possent; at tantam negabat earum esse obscuritatem, ut ad vitæ usus probari vel rejici non possent. Hinc efficitur

por-

porro, ne in eo quidem diſſenſiſſe ipſos, quod Carneades diceret opinaturum eſſe Sapientem, fortaſſe & aſſenſurum; vetaret utrumque Arceſilas. Nam id tantum volebat Carneades, probabilia Sapientem ſequi debere in communi uſu vitæ, quæ alioqui minime vitalis foret, non in regimine mentis & ſtudiis veritatis, à quibus Arceſilas opiniones & aſſenſus removebat. Quamobrem omne fuit in verbis diſſidium, non in rebus. Perparum quoque intererat rationem inter Philonis & Superiores. Cum enim aiebat, quominus res perciperentur impedimento non eſſe ipſam rerum naturam, ſed infirmitatem mentis noſtræ, hoc ipſum erat in quo diſcrepabant Arceſilas & Carneades, cum veri nihil eſſe in rebus diceret ille, hic veri fateretur aliquid in rebus eſſe, ſed à nobis percipi non poſſe. Hæc autem etſi diſſident verbis, rebus congruunt: nam veritatem nullam ineſſe in rebus, & veritatem rerum natura ſua percipi poſſe ſunt, ut dixi, enuntiata τῶν πρός τι, & referuntur

ad aliud, ad mentem nempe humanam: atque id utrumque significat, quominus mens humana rerum veritatem percipere possit, non obstare naturam ipsam rerum, sed mentis humanæ caliginem. Concedebant quoque Sapienti Philo perinde ac Carneades: ut opinari aliquando posset. At cum aliquid etiam ab eo percipi sentiebat, sed non ita tamen ut nulla subesset caussa dubitandi, abuti videtur perceptionis vocabulo; in qua si dubitatio aliqua inest, jam perceptio non est; sed opinatio. Atque ita recidebat in sententiam Carneadis, & probabilitatem in traductione vitæ & rectione morum sequendam esse censebat. Quintam vero Academiam, quæ Antiochi fuit, quoniam mere dogmatica fuit, atque ipsa vetus Academia laciniis Stoicorum retexta & resarta, ab hac disputatione removeamus.

31. Constet ergo geminam fuisse Academiam; veterem, quæ Socratis fuit & Antiochi; novam, quæ Arcesilæ, Carneadis & Philonis. Hanc autem eandem esse aio ac

Pyr-

Pyrrhonis disciplinam: nam etsi afferuntur nonnulla, in quibus videntur differre, haudquaquam tamen talia sunt, ut duplex idcirco secta constituenda sit; cum vetus ac nova Academia, sententiis licet dissimiliores, unum tamen Academiæ nomen retinuerint. Et nunc quoque, cum tam longe lateque fluxerit doctrina Aristotelis, ut in sectas propemodum infinitas dissipata sit, dogmatis ita discrepantes, ut alii aliis ne sapere quidem videantur, omnes tamen Peripatetici dici volunt & Aristotelici. Vetus illa fuit quæstio, ut Scriptum (1) à Gellio est, & à multis Scriptoribus Græcis tractata, quid intersit Academicos inter & Pyrrhonios: atque eorum dissentiones libro peculiari collegerat Plutarchus. Nos quoniam hæc veterum monumenta deficiunt, sequamur (2) Sextum Empiricum, a quo præcipue discrepantiæ hujus capita adeo accurate exposita sunt, ut nihil præterea desideremus.

(1) Gell. l. 1. c. 5.

(2) S. Empiric. Hypot. l. 1. c. 33.

32. Primum is discrimen ponit

novæ Academiæ & Scepticæ diſciplinæ, quod cum utraque dicat nihil eſſe comprehenſibile, hoc affirmate pronuntient Academici, Sceptici vero dubie. At nihil eſt hæc diſſenſio: nam eam ipſam dubie proponit Sextus. Deinde, qui nihil ſciri poſſe putat, ac ne hoc ipſum quidem, an aliquid ſciat, is certe nihil affirmare poteſt: nam qui affirmat aliquid, is ſcire ſe profitetur quod affirmat.

33. Gravius videtur, ſed leve tamen eſt diſcrimen alterum, quod affert Sextus, totumque in vocabuli uſu verſatur, cum de re conveniat. Fatentur utrique bonum eſſe aliquid & malum; at cum id aiunt Academici, ſimul perſuaſos eſſe ſe dicunt, probabilius eſſe, id eſſe bonum quod bonum eſſe putant, quam non eſſe bonum; atque itidem malum. Sceptici vero cum aliquid bonum eſſe aiunt, non ſimul perſuaſos eſſe ſe dicunt, probabilius eſſe id quod aiunt, quam contrarium; ſed ſine ulla perſuaſione, ſive opinione conſuetudini vitæ communi ſe obſequi. Tota ergo

ergo differentia posita est in opinione illa quam habere se fatentur Academici, Sceptici negant se habere. At cum in vitæ usu aliquid Sceptici ut bonum eligunt, & anteponunt alteri, ducuntur specie bonitatis quæ in hac videtur inesse, non in illa. Ergo Visum habent insigne & illustre, animo impressum ab hac specie bonitatis quæ in illa re est, non in ista. Hoc autem viso ducuntur ad eligendam rem ex qua visum illud proficiscitur. Atqui ducuntur & Academici, cum rem aliquam ut bonam eligunt. Hoc tantum interest, quod cum utrique ducantur viso à specie bonitatis impresso, Academici sequuntur, Sceptici duci se patiuntur: & quod id Academici vocant opinionem seu persuasionem, Sceptici non appellant; cum neutri affirment rem ipsam e qua proficiscitur species bonitatis, esse bonam, utrique fateantur rem sibi videri bonam, utrique fateantur visum hoc se animo impressum habere, ut pote quo utrique ducantur. Neque vero plane negant Sceptici se

persuaderi, sed in modo tantum persuasionis differre se volunt ab Academicis, ut mox ostendemus.

34. Eodem recidit tertia utrorumque dissensio. Visa Academici volunt esse quædam verisimilia, quædam secus: illorum autem alia aliis simi ioraa veri: Sceptici æqualia ad obtinendam fidem. Atqui hoc discrimen affert Sextus, ipse tollendi ejus præbet argumentum: ait enim velle Scepticos æqualem esse visorum fidem, quantum ad rationem pertinet, hoc est, quantum ad veritatem ratione percipiendam, & acquirendam scientiam pertinet: nihilo enim plus valet ad comparandam veri notitiam, vel clarissimum visum, quam obscurissimum: ad vitæ vero traductionem huic illud anteferri volunt. Atque de eo ipso non solum sentiebat Arcesilas, sed etiam loquebatur ut Sceptici.

35. Inest quarta differentia, non in ipsa re, sed in rei modo: nam cum utrique fateantur se rebus aliquibus πείθεσθαι, hoc est, persuaderi & impelli, Academici id evenire

nire sibi aiunt cum vehementi propensione, non item Sceptici: quasi in verisimilia ferantur illi, hi tantum duci se patiantur; cum in neutris tamen fides insit vel assensus.

36. Discrepare quoque eos scribit Sextus in iis quæ pertinent ad finem; Academicos quippe sequi probabilia in usu vitæ, Scepticos autem legibus tantum, consuetudini, & naturalibus affectionibus sive opinationi obtemperare. In quo, ut in aliis plerisque, dissident verbis, re consentiunt: nam legibus, consuetudini & affectionibus ideo obsequuntur Sceptici, quod ita agere bonum ipsis videatur; hoc est, quod visum sequantur impressum menti à bonitatis specie, quæ in affectionibus, consuetudine & legibus inest. Visum autem menti impressum sequi, hoc ipsum est quod probare; sive opinari dicunt Academici. Species autem bonitatis à qua visum id proficiscitur, illud est quod probabile sive πιθανὸν appellant. Igitur cum legibus morem gerit Academicus, opinari

se dicit bonum id esse factu, atque hoc esse probabile. Cum idem agit Scepticus, abstinet ab his opinationis & probabilitatis vocabulis, ne gradum faciat ad assensionem. Similiter cum Scepticorum & Arcesilæ finis sit ἐποχὴ ejusque comes ἀταραξία, necesse est id utrisque videri bonum, uti videbatur sane, nam & huic & illis placuit, bona esse singulares epochas, & mala singulares assensiones, atque hoc utrosque fugere, illud utrosque persequi necesse est. Aliquid autem persequi ut bonum, sive id probare & opinari appelles, sive alio quovis nomine, manet res eadem nullo discrimine.

37. Aliud præterea subjicit Sextus dissidium Arcesilæ cum Scepticis, quod cum utrique Epochen esse dicant bonum, assensionem malum; hoc Sceptici non affirmant, tantum sibi ita videri dicunt; Arcesilas vero hæc re ipsa ita esse, & ex natura sua censeat. Verum ita sensisse Arcesilam conjectura tantum suspicatur Sextus;

&

& contrarium diserte tradit (1) Gellius: ait enim dicere Academicos & Scepticos, ex omnibus rebus rerum perinde visa fieri, non ut rerum ipsarum natura est, sed ut affectio corporis & animi eorum ad quos hæc visa perveniunt. Præterea bonitas finis est ex illis quæ referuntur ad aliud, quod supra de rerum veritate diximus. Bonitas autem finis refertur ad nos; nec aliam ob caussam finem bonum dicere possumus: quam quod nobis videatur esse bonus. Non aliter itaque de bonitate finis sentire potuit Arcesilas ac Sceptici. Putemusne denique censuisse Arcesilam, res natura sua habere aliquid boni, qui nihil in iis inesse veri arbitratus est? Quæ autem addit Sextus existimasse nonnullos, Pyrrhonio more disputasse Arcesilam inter novitios discipulos & doctrinæ suæ rudes, ingenii eorum periclitandi caussa; quos cum acumine mentis pollere deprehendisset, tum vero iis doctrinam Platonis affirmate & Dogmicatorum more tradidisse; ea se ex

(1) Gell. l. II. c. 5.

ex vanis auditionibus & incerta fama referre se non dissimulat. Quæ tamen si essent, non ex inconstantia & vanitate Doctoris doctrina ipsa spectanda est..

38. Postremam hanc Scepticæ & Academicæ sectæ differentiam ponit (1) A. Gellius, homo Grammatici similior quam Philosophi; quod cum utrique placeat nihil posse comprehendi, nihil posse decerni, hoc ipsum quasi comprehendunt Academici, & quasi decernunt: cum Pyrrhonii ne id quidem ullo pacto videri sibi verum dicant, quod nihil verum esse videatur. Primum, quid sit comprehendere, quid decernere, scio; quid sit *quasi comprehendere* & *quasi decernere* nescio. Nam si *quasi comprehendere* est comprehendere, quid attinebat claram dictionis significationem addita vocula *quasi* obscurare? Deinde an comprehendere quicquam dicemus Academicos, qui nihil se scire, ac ne hoc quidem ipsum, an aliquid sciant, scire se profitentur? An comprehendere se posse putavit Ar-

(1) Gell. l. II. c. 5.

Arcesilas, per quem ne opinari quidem licet? quod si *quasi comprehendere* est non comprehendere, en tibi Academicos Pyrrhoniorum similes, cum utrique dicant, ne hoc quidem se comprehendere, quod nihil comprehendant. Sin *quasi comprehendere* est ita videri, ut si cum dicas te quasi comprehendere aliquid esse verum, id velis, verum tibi hoc videri; ac proinde id significat Gellius Academicis videri nihil se comprehendere; Pyrrhoniis ne id quidem videri, hoc ipsum discrimen est quod tertio loco mox attulimus ex Sexto Empirico, & nullum esse ostendimus. Sin autem *quasi comprehendere* id sit quod volebat Carneades, percipere quidem, sed tamen non sine aliqua dubitandi caussa, quod menti humanæ concedebat; at id profecto est abuti vocabulo comprehensionis; nam hujusmodi comprehensio, ut dixi, mera opinatio est. Cum igitur vel nullæ sint vel levissimæ Scepticorum & Academicorum dissensiones, merito Scriptum est ab egregio rerum hujus-

modi

modi spectatore Sexto qui dissensiones illas collegit, videri sibi Pyrrhoniorum rationi valde congruere Sectam Arcesilæ, adeo ut una sit propemodum & eadem disciplina. Scriptum quoque est à (1) Seneca circa eadem versari utrosque, & eandem profiteri scientiam, nihil scire. Scriptum denique & a (2) Gellio dici utrosque Scepticos & Ephecticos & Aporeticos. Quamobrem & inter Scepticos, ut jam monui, Arcesilas relatus est.

(1) Senec. Ep. 89.

(2) Gell. l. II. c. 5.

39. Ego vero, cum probe perspectum haberem unam esse eamdemque disciplinam Academicorum & Pyrrhoniorum, miratus sum sæpenumero quid sit, cur qui eam persequuntur Philosophi dici fere malint Academici quam Pyrrhonii, quasi vocabulum hoc dedecori sibi esse ducant, illud ornamento. Cujus optionis caussas inquirenti mihi duæ potissimum occurrunt; & quod e Pyrrhonis Schola perpauci prodierint, quorum fuerit aliquod in Philosophia nomen, cum Academiam concelebrarint nobilissimi Philosophi, quorum in societatem venire

venire non modo non pudeat, sed gloriosum quoque sit: & quod inepta pleraque & ridicula Pyrrhoniis Pyrrhonique ipsi affícta sint, omnemque e vita sustulisse actionem sint crediti; quæ cum fidem habuerint in vulgus, iisdem obnoxium se faciat necesse est, quicumque Pyrrhonium se ferre ausit.

40. Sed eorum qui in hac dubitandi arte præ cæteris claruerunt, repetamus seriem, quam a Pyrrhone usque ad Saturninum Cythenam Sexti Empirici, cujus exstant libri, discipulum pertexuit Diogenes Laertius, Hippoboto & Sotione auctoribus. Ex quo intelligitur falsum esse Menodotum, cum scripsit Timoni Pyrrhonis discipulo Successorem fuisse nullum, & tunc omnino defecisse disciplinam hanc, quoad eam instauravit Ptolemæus Cyrenensis, a quo ad Sextum usque per continuam successionem propagata est. Is quippe Ptolemæus Eubuli discipulus fuit; Eubulus Euphranoris, qui Timonem audivit in aliorum aliquot condisci-

pu-

pulatu. Attamen cum non magna fuerit hominum illorum celebritas, minime mirandum eſt tam crebris locis ſcriptum eſſe à Cicerone, abjectam jamdiu ante ſuam ætatem & obſoletam Pyrrhonis doctrinam evanuiſſe: atque idem etiam conqueſtum eſſe (1) Senecam. Par fuiſſe videtur cauſſa Ariſtoteli, cur ſcriberet apud Euſebium, fractos & abjectos Pyrrhonios ita conticuiſſe, quaſi numquam fuiſſent; donec jacentem & extinctam diſciplinam Æneſidemus Alexandriæ excitavit.

(1) Senec. Natur. Quæſt. l. VII. c. 32.

41. Nos tempori parcentes eximios tantum quoſdam recenſebimus, imprimis Timonem Phliaſium, qui Dogmaticorum audaciam argutiſſimis ſillis exagitavit. Sic autem ſtatuebat, quicumque ad felicitatem contenderet, omnia illi pro incertis & indifferentibus eſſe habenda: ſenſus & opiniones neque veri indices eſſe, neque falſi: propterea que neutram in partem eſſe inclinandum, neque quicquam aſſeverandum, ſed dicendum de unaquaque re non magis eſſe quam non eſſe; quicumque vero ſic fuerit

rit affectus, nullis fore perturbationibus obnoxium.

42. Ponitur & inter Pyrrhonis discipulos Nausiphanes Teius, quem perinde ut Timonem dixisse refert (1) Seneca, ex his quæ videntur, nihil magis esse quam non esse. Addit & ab eo dictum id quoque, hoc unum esse certum, nihil esse certi: quod ne jurato quidem Senecæ assentiar: nam hoc ut diceret Nausiphanes, remigrandum ei erat in veterem Academiam, deserta Schola Pyrrhonis, qui nihil omnino esse certi constanter docuit. Pyrrhonis affectatores fuerunt Timon & Nausiphanes, Nausiphanis Epicurus.

(1) Senec. Epist. 89.

43. Iisdem se partibus addixit florentissimi ingenii Philosophus Theodosius sive Bithynus sive Tripolites, & egregiis lucubrationibus operam suam præstitit.

44. Exstitit ex eadem schola Aenesidemus Cnossius, qui Alexandriæ Ægypti instauravit senescentem jam hanc disciplinam & locupletavit.

45. Nec defuerunt, qui in hunc cen-

censum conferrent. Ptolemæum Astronomum, qui interclusos esse dixit humanæ menti ad disciplinas aditus, vel propter obscuritatem rerum, vel propter illius angustiam.

46. 47. Factum idem apud Romanos à Cornelio Celso, quod apud Alexandrinos ab Ænesidemo; factum & à Favorino, qui Scepticum se professus, decem modos Pyrrhoniorum exquisitis scriptionibus tradidit, & nullam in nobis esse phantasiam docuit, quæ polleat facultate comprehendendi.

48. Sed cum horum monumenta consumserit dies, exortus est S. Empiricus, cujus opera habemus, unde damnum hoc resarciatur; cum præclaro libro Hypotheseon, quo disciplinæ hujus forma & constitutio accurate expressa est, tum luculentis disputationibus adversus Dogmaticos, quibus disciplinarum omnium, etiam quæ certissimæ habentur, vanitas ostenditur.

49. Putatur is à multis idem esse ac Sextus Chæronensis ex Plutar-

tarchi forore natus, unus è M. Aurelii Imperatoris præceptoribus: etenim convenit utriusque ætas, & nomen, & Philosophiæ studium: & utrique præceptor fuit nomine Herodotus. Nec satis infringere videtur opinionem hanc Suidas scriptor levissimus, cum alterum Chæronensem facit, Lybin alterum; nam Lybis fortasse dici potuit, propter diuturnam Cyrenis in Lybia moram, etiamsi Chæroneæ natus esset; ut Atticus cognomento dictus est clarissimus ille Pomponius, licet ortu Romanus. Nihilo validius est argumentum quod ex Sexti utriusque præceptore Herodoto sumitur, qui non unicus videtur, sed geminus; alter Philadelphia ortus Chæronensis Sexti præceptor; alter Tarsensis præceptor Lybis: nam & Philadelphia civitas est in Cilicia, atque inde fortasse ortus Herodotus, propter vicinitatem Tarsensis dictus est. Objiciunt quoque Stoicum Chæronensem fuisse, cum Lybis fuerit Pyrrhonius. Ait enim Capitolinus M. Aurelium audivisse

*Sextum Chæronensem Plutarchi nepotem, Junium Rusticum, Claudium Maximum, & Cinnam Catulum Stoicos.* Sed frustra sunt: nam hæc est fortasse verborum istorum sententia, tres postremos fuisse Stoicos, uti reipsa fuerunt, non item Sextum; cum Suidas ipse Pyrrhonium fuisse scribat Sextum utrumque. Aiunt quoque Sextum Pyrrhonium cognomine Empiricum appellari, non item Chæronensem. Quis vero nescit cognomina hujusmodi sæpissime prætermitti? velut in his Suidæ locis, & in Isagoge quæ Galeno tribui solet; in qua ad Sexti illius nomen cognomentum nullum adscriptum est. Addit (1) Casaubonus scripsisse Marcum Imperatorem traditam sibi a Sexto rationem inveniendorum, percipiendorum, & ordine digerendorum dogmatum, quæ ad vitam sunt necessaria; hæc autem ad Sextum Empiricum neutiquam pertinere, qui nihil percipi posse docuit, & dogmata omnia repudiavit. At dogmata illa ad vitam necessaria, videntur regu-

(1) Casaub. in capitol. vit. Marc. Imp.

gulæ quædam fuisse ad vitæ usus & honestatem utiles, non effata ad veri inquisitionem accommadata. Hæc est enim doctrina Scepticorum, sustinendas esse assensiones dum quæritur verum, obsequendum vero apparentibus in usu vitæ. Quamobrem id à Marco additum consulto putem de Sexto, ut sciretur moribus Dogmaticum fuisse, & certum ac constantem tenuisse & tradidisse vitæ modum, licet doctrina Scepticus esset. Levi etiam utitur argumento Salmasius, ut geminum hunc Sextum fuisse probet: nempe quod iisdem temporibus vixerit Chæronensis Sextus, quibus Galenus; cum Galeno vetustior fuerit Empiricus, utpote qui ab eo inter Empiricos numeretur in Isagoge. Quasi vero in scriptis nostris homines nobis æquales nominare ac laudare non soleamus. Sed nihil hic exceptione hac opus est, cum Isagoge isthæc alterius auctoris esse videatur ac Galeni. Nolim tamen hic affirmare quicquam, & tam cito desciscere ab instituta ratione dubitan-

 di

di de omnibus: ſed unicuique ſentire ut volet, per me fas eſto.

50. Cæterum cum eam Philoſophiæ ſectam, quæ Sceptice dicta eſt, & illam medicinæ, quæ ab auctore ſive Acrone Agrigentino, ſive Philino Coo, conſtituta experientiam ſequitur, & appellatur Empirice, non is ſolum Sextus, ſed alii quoque conjunxerint, & profeſſi ſint, velut Menodotus Nicomedienſis, & Saturninus Cythenas; & Marcellus quoque qui ad occultandum Sceptices ſtudium quo tenebatur, Empiricus dici voluit; plus tamen ad Scepſin accedere eam medicæ artis diſciplinam, quæ à Themiſone condita, Methodice appellatur, quam Empiricen cenſet ipſe (1) Sextus: ita, ſi affirmet Empirice incerta comprehendi non poſſe: vetat enim Scepſis affirmari quicquam. Unde efficitur, ſublata hac affirmatione maximam fore Sceptices & Empirices conjunctionem; quam inter Methodicen & Scepticen ſummam eſſe idem demonſtravit: præſertim cum legamus apud Celſum ſcita hæc

(1) S. Empir. Hypotyp. l. I. c. 34.

hæc fuiſſe Empirices itidem ut Scepticés, incomprehenſibilem eſſe naturam, nihil percipi poſſe, id patere ex eorum qui de his diſputarunt diſcordia, ſolo uſu & experientia conſtare Medicinam, ratiocinationem nihil ad eam pertinere. Contendit idem Sextus aliis locis, non modo ineruditos eſſe Pyrrhonios, uti vulgo exiſtimantur, ſed longe majorem rerum uſum & experientiam habere quam reliquos Philoſophos; hoc eſt, ut nominis ſignificatio indicat, Empirica diſciplina pollere; & Empiricos omnem argumentationem ſuſtuliſſe, quod mere Scepticum eſt. Modo citra affirmationem.

51. Fuit æqualis illorum Lucianus Samoſatenus, quem inter eos ponit (1) Photius, quorum ſententia fuit nulli ſententiæ adhærere.

(1) Phot. Tmem. 128.

52. Scepticum ſe quoque profeſſus eſt Uranius quidam Juſtiniani temporibus. Hunc in magno honore habuit Choſroës Perſarum rex, Philoſophiæ ſtudioſiſſimus, & ampliſſimis muneribus præſentem, ho-

norificis etiam ac per benignis literis prosecutus est absentem, eoque magistro usus est. Miror itaque Regi non stolido adeo placuisse tantæ inscitiæ, tantæque vecordiæ hominem, quantam in eo fuisse commemorat Agathias. Quæ si vera sunt, sectam quam tenuit etiam in homine ejus non valde perito & vitiis etiam probrisque, insigni, placuisse & Barbaros cepisse putandum est. Fuerunt alii præterea sectæ ejusdem Philosophi, quos studiosorum diligentiæ colligendos relinquimus.

53. Nunc postquam Philosophorum disciplinas sumus persecuti, quæ nihil affirmandum esse, deque omnibus dubitandum sanxerunt, redeamus ad Dogmaticos: omissisque Stoïcis, qui etsi projecta ad aniles etiam fabulas admittendas fide, assensionum tamen temeritatem caute monebant esse vitandam, atque hanc cautionem convenienti nomine appellabant ἀπροπτωσίαν, suisque commendabant; clarissimam ex aliis inscitiæ confessionem excipiamus: imprimis à Porphyrio viro

viro, si infinitum adversus Christi nomen odium tollas, sine controversia maximo: qui in libro de anima ad Boethum, nihil in Philosophia certum, dubia omnia esse confessus est.

54. Multo hoc vetustior fuit Aristippus Cyrenaicæ sectæ parens: is ut deinde Aristo Chius, Physicam Philosophiæ partem percipi non posse dixit, & esse supra nos, Logicam nihil ad nos; solam Ethicam ad nos pertinere, ac ne totam quidem, sed eum solum locum, qui est de virtutibus & vitiis: his enim illas volebat anteferri, reliqua in summa æqualitate ponebat: nec quicquam interesse inter optime valere & gravissime ægrotare: neque ulla in rebus hujusmodi selectione utendum esse putabat.

55. Herillus quoque Carthaginensis, excepta scientia, quam summum bonum ponebat, rerum omnium delectum sustulit.

56. Sed & Antiquior Menedemus, Platonis auditor, nulli institit dogmati.

57. Manavit ab eo & jam antea Phædone, Eliacorum sive Eretricorum disciplina: de quibus ac Megaricis Philosophis, qui ab Euclide Magarensi instituti, Eristici quoque & Dialectici dicti sunt, hæc scribit (1) Seneca: *Circa eadem fere Pyrrhonii versantur, & Megarici, & Eretrici, & Academici qui novam induxere scientiam, nihil scire.* Itaque inter professores scientiæ hujus ponit (2) Cicero Stilponem, Diodorum & Alexinum.

(1) Senec. Ep. 89.

(2) Cic. l. V. Academ.

58. Monimus quoque Cynicus res omnes constare opinionibus, & picturæ similes esse censebat, perinde ut Anaxarchus; nec ab iis quicquam discrepare ea quæ dormientium vel insanorum mentibus obversantur, & Criterium omnino esse nullum.

59. Jam si decurramus ad exoticas gentes, plerasque comperiemus in hac hæresi fuisse, quæ assensiones contineri jubet. Scribit Diogenes (3) Laertius Anaxarchum & Pyrrhonem cum Magis & Indis Gymnosophistis congressos, ab his præclaram hanc Philosophandi artem

(3) Diog. Laert. Pyrrh.

artem accepisse, quæ nihil comprehendi posse, numquam assentiendum esse docet.

60. Brachmanum sententia fuit, uti refert (1) Strabo ex Megasthene, nihil esse bonum vel malum; quippe huic videri bonum, quod illi malum. Totum ergo Orientem ad ultimos usque fines Sceptica pervasit.

(1) Strabo, lib. XV.

61. Est apud Turcas Philosophorum secta quædam, quos *Hairetis* appellant, quasi dicas Attonitos, qui de rebus omnibus dubitare se profitentur, nihil umquam affirmant, quod verum à falso internosci non posse putent; probabilia omnia esse dicunt, certum nihil; legibus parent: verum in eo nimis Sceptici, quod ad communes usus vitæ suum hunc dubitandi morem transferunt.

62. Inter Judæos fuerunt & qui dubitandi artem tenerent. Narrat Philo scitum fuisse Essenorum, Logicam Philosophiæ partem esse ad virtutem comparandam minime necessariam: Physicam humanæ naturæ captum superare; Theolo-

gica dumtaxat quæ ad Deum & Mundi creationem pertinent, esse tractanda. Quæ Aristonis Chii doctrinæ affinia sunt.

63. At Scepticam rationem etiam in Theologicis tractandis adhibuerunt Seboræi sive opinatores: hoc enim nomen ipsorum sonat. Thalmudis illi doctrinam excutiebant, disputantes in utramque partem, nihil affirmantes.

(1) Maimon. de idol. c. II. §. 4. 5. 6.

64. Ipse (1) Maimonides, qui ut animo Rabbinicis deliriis expurgato, ita longe solidiore doctrina præditus fuit, adeo angustum esse dixit captum humanæ mentis, ut quidquid hominum est, sinceram veritatem nequeat adipisci: ac propterea expellendam esse ab animo cogitationem omnem, quæ nos possit à divinæ legis obsequio avertere; sin admittuntur, pessumdatum iri legitimum Dei cultum; atque id sibi voluisse Mosem, cum dixit, *Ne scrutemini* (2) *post cor vestrum, & post oculos vestros post quos scrutamini:* hoc est, ne animo vestro tam tenui & exiguo obsequamini, nec veritatis compotes fieri

(2) Numer. xv., 31.

fieri poſſe vos ſperetis.

65. Neque Arabibus Sceptici ſui defuerunt. *Medabberim* appellant Judæi, hoc eſt, *Loquentes*, ſive potius Logicos, crebro Averroi memoratos, crebo Maimonidæ in More Nevochim, & in aliis nonnumquam Rabbinorum libris, quoſque Arabum Theologos Scholaſticos merito dicere poſſis. Hi a vetuſtioribus Græcis & Syris ad dubitandum ſubornati, perpetuas cum Dogmaticis velitationes exercuerunt, ſenſibus omnem detrahentes fidem, omnem intellectui, perpetuaque hac & præcipua utentes regula, nihil certo ſciri poſſe. Unde & omnia Geometrarum epichiremata quæ certiſſima habentur, ut inania & fallacia rejicebant. Quodque ad rem maxime pertinet, primi inter eos diſciplinæ hujus antiſtites ob id potiſſimum eam feruntur eſſe amplexi, quod ſubmittendis religioni ac fidei animis valde videretur accommoda.

## XV.

1. Igitur dubitandum esse, sustinendos assensus, temere non credendum clamat omnis Philosophia, & sacra & profana; nec ii solum qui dubitationem profitentur, sed Dogmatici quoque. Viderunt enim non aliter eripi errores, aut vitari posse, quam si semel præjudicatas omnes opiniones communi una & solenni dubitatione exuerentur. Hinc Philosophiæ suæ principia auspicatus Cartesius, provisione hac elidi stirpes omnes errorum ac purgari, & tuto ac certo iri ad veritatem arbitratus est. At qui prudenti cautione in aditu usi, eam intermiserant in progressu; quasi ad aliena tantum respuenda dogmata utilis esset dubitatio, suis vero abjiciendis opinationibus vel explorandis inopportuna, in flagitium ipsi, frustra in aliis animadversum, pari temeritate incurrunt.

(1) Horat. l. II. Sat. 3.

(1) *Velut sylvis, ubi passim Palantes error recto de tramite pellit: Ille*

*Ille sinistrorsum, hic dextrorsum abit: unus utrisque*
*Error, sed variis illudit partibus. Hoc te*
*Crede modo insanum; nihilo ut sapientior ille*
*Qui te deridet, caudam trahat.*

2. Ut autem qui ad urbem versus ortum sitam ire cogitans, si ignarus viæ convertatur ad occasum, minus deerraverit moratus in bivio, quam alterutram capessens viam & longius procedens: ita mens humana affixa humi & terreno corpore implicita, atque hoc veluti sepimento interclusum sibi ad veritatem ascensum & aditum sentiens, cautius offensionem vitabit atque lapsum, si in inscitia sua, & in inscitiæ comite dubitatione acquiescat, quam si vanis assultibus aërem captet, & pro Junone nubem amplectatur. Atque hoc interest Dogmaticos inter & Scepticos. Quæ enim opinionum monstra non peperit illa confidentia? de quibus scriptum est à summis viris & omnis Philosophiæ consultis-

fimis Cicerone & Varrone, uti jam fupra a me notatum eft, nihil à quoquam dici poffe tam abfurdum, nihil ab ægro fomniari poffe tam infandum quod non dicatur ab aliquo Philofophorum.

3 Academicis contra & Scepticis quæ tamdem dogmatum exprobrari poteft perverfitas, qui nullum dogma defendunt? atque hi fanè Philofophi, fi veram nominis fignificationem quærimus, dicendi funt. Cum enim Philofophia, ex interpretatione vocabuli fit ftudium fapientiæ five veritatis; Sapientia autem ex definitione prifcorum Philofophorum fit fcientia rerum divinarum & humanarum cauffarumque quæ has res continent; quicumque ftudent Sapientiæ vere Philofophi dicendi funt: quicumque rerum divinarum & humanarum fcientiam quæ Sapientia eft, funt adepti, hi vere funt Sapientes. Scientiæ autem hujus adeptionem profitentur Dogmatici & Sapientum quoque nomen admiferunt olim, quod primus repudiavit Pythagoras, infcientiæ fuæ fibi confcius:

ſcius: ſtudioſum ſe tantum Sapientiæ dici paſſus eſt. (1) Τὸ γὰρ τοπάζειν, inquit Æſchylus, τοῦ σάφα εἰδέναι δίχα. *Aliud eſt enim ſuſpicari, quam certo ſcire*. Atqui hoc Academicorum proprium eſt, qui ex rebus divinis & humanis non modo nihil ſcire, ſed nihil ſcire ſe poſſe aiunt; eas tantum procul contemplari ſe & explorare. Sint ergo Sapientes, ut volent Dogmatici, quando tantum ſibi licere, & ſcientiam eam tenere ſe putant qua conſtat Sapientia. In modeſto & ſimplici Philoſophorum vocabulo continebunt ſe Academici & Sceptici, qui Sapientiam ſupra captum ſuum poſitam ſuſpiciunt & amant. Quamquam & de illis vere dictum eſt à Lactantio (2) Sapientiores eſſe eos qui ſe ex aliqua parte viderunt, quam illos qui ſapere ſe crediderunt.

Aeſchyl. Agam.

Lactant. l. IV. cap. 2.

norificis etiam ac per benignis literis prosecutus est absentem, eoque magistro usus est. Miror itaque Regi non stolido adeo placuisse tantæ inscitiæ, tantæque vecordiæ hominem, quantam in eo fuisse commemorat Agathias. Quæ si vera sunt, sectam quam tenuit etiam in homine ejus non valde perito & vitiis etiam probrisque, insigni, placuisse & Barbaros cepisse putandum est. Fuerunt alii præterea sectæ ejusdem Philosophi, quos studiosorum diligentiæ colligendos relinquimus.

53. Nunc postquam Philosophorum disciplinas sumus persecuti, quæ nihil affirmandum esse, deque omnibus dubitandum sanxerunt, redeamus ad Dogmaticos: omissisque Stoïcis, qui etsi projecta ad aniles etiam fabulas admittendas fide, assensionum tamen temeritatem caute monebant esse vitandam, atque hanc cautionem convenienti nomine appellabant ἀπροπτωσίαν, suisque commendabant; clarissimam ex aliis inscitiæ confessionem excipiamus: imprimis à Porphyrio viro

viro, si infinitum adversus Christi nomen odium tollas, sine controversia maximo: qui in libro de anima ad Boethum, nihil in Philosophia certum, dubia omnia esse confessus est.

54. Multo hoc vetustior fuit Aristippus Cyrenaicæ sectæ parens: is ut deinde Aristo Chius, Physicam Philosophiæ partem percipi non posse dixit, & esse supra nos, Logicam nihil ad nos; solam Ethicam ad nos pertinere, ac ne totam quidem, sed eum solum locum, qui est de virtutibus & vitiis: his enim illas volebat anteferri, reliqua in summa æqualitate ponebat: nec quicquam interesse inter optime valere & gravissime ægrotare: neque ulla in rebus hujusmodi selectione utendum esse putabat.

55. Herillus quoque Carthaginensis, excepta scientia, quam summum bonum ponebat, rerum omnium delectum sustulit.

56. Sed & Antiquior Menedemus, Platonis auditor, nulli institit dogmati.

57. Manavit ab eo & jam antea Phædone, Eliacorum five Eretricorum disciplina : de quibus ac Megaricis Philosophis, qui ab Euclide Magarensi instituti, Eristici quoque & Dialectici dicti sunt, hæc scribit (1) Seneca: *Circa eadem fere Pyrrhonii versantur, & Megarici, & Eretrici, & Academici qui novam induxere scientiam, nihil scire.* Itaque inter professores scientiæ hujus ponit (2) Cicero Stilponem, Diodorum & Alexinum.

(1) Senec. Ep. 89.

(2) Cic. l. V. Academ.

58. Monimus quoque Cynicus res omnes constare opinionibus, & picturæ similes esse censebat, perinde ut Anaxarchus; nec ab iis quicquam discrepare ea quæ dormientium vel insanorum mentibus obversantur, & Criterium omnino esse nullum.

59. Jam si decurramus ad exoticas gentes, plerasque comperiemus in hac hæresi fuisse, quæ assensiones contineri jubet. Scribit Diogenes (3) Laertius Anaxarchum & Pyrrhonem cum Magis & Indis Gymnosophistis congressos, ab his præclaram hanc Philosophandi artem

(3) Diog. Laert. Pyrrh.

artem accepiſſe, quæ nihil comprehendi poſſe, numquam aſſentiendum eſſe docet.

60. Brachmanum ſententia fuit, uti refert (1) Strabo ex Megaſthene, nihil eſſe bonum vel malum; quippe huic videri bonum, quod illi malum. Totum ergo Orientem ad ultimos uſque fines Sceptica pervaſit.

(1) Strabo, lib. XV.

61. Eſt apud Turcas Philoſophorum ſecta quædam, quos *Hairetis* appellant, quaſi dicas Attonitos, qui de rebus omnibus dubitare ſe profitentur, nihil umquam affirmant, quod verum à falſo internoſci non poſſe putent; probabilia omnia eſſe dicunt, certum nihil; legibus parent: verum in eo nimis Sceptici, quod ad communes uſus vitæ ſuum hunc dubitandi morem transferunt.

62. Inter Judæos fuerunt & qui dubitandi artem tenerent. Narrat Philo ſcitum fuiſſe Eſſenorum, Logicam Philoſophiæ partem eſſe ad virtutem comparandam minime neceſſariam; Phyſicam humanæ naturæ captum ſuperare; Theolo-

gica dumtaxat quæ ad Deum & Mundi creationem pertinent, esse tractanda. Quæ Aristonis Chii doctrinæ affinia sunt.

63. At Scepticam rationem etiam in Theologicis tractandis adhibuerunt Seboræi sive opinatores: hoc enim nomen ipsorum sonat. Thalmudis illi doctrinam excutiebant, disputantes in utramque partem, nihil affirmantes.

(1) Maimon. de idol. c. II. §. 4. 5. 6.

64. Ipse (1) Maimonides, qui ut animo Rabbinicis deliriis expurgato, ita longe solidiore doctrina præditus fuit, adeo angustum esse dixit captum humanæ mentis, ut quidquid hominum est, sinceram veritatem nequeat adipisci: ac propterea expellendam esse ab animo cogitationem omnem, quæ nos possit à divinæ legis obsequio avertere; sin admittuntur, pessumdatum iri legitimum Dei cultum; atque id sibi voluisse Mosem, cum dixit, *Ne scrutemini* (2) *post cor vestrum, & post oculos vestros post quos scrutamini*: hoc est, ne animo vestro tam tenui & exiguo obsequamini, nec veritatis compotes fieri

(2) Numer. xv., 31.

fieri posse vos speretis.

65. Neque Arabibus Sceptici sui defuerunt. *Medabberim* appellant Judæi, hoc est, *Loquentes*, sive potius Logicos, crebro Averroi memoratos, crebo Maimonidæ in More Nevochim, & in aliis nonnumquam Rabbinorum libris, quosque Arabum Theologos Scholasticos merito dicere possis. Hi a vetustioribus Græcis & Syris ad dubitandum subornati, perpetuas cum Dogmaticis velitationes exercuerunt, sensibus omnem detrahentes fidem, omnem intellectui, perpetuaque hac & præcipua utentes regula, nihil certo sciri posse. Unde & omnia Geometrarum epichiremata quæ certissima habentur, ut inania & fallacia rejicebant. Quodque ad rem maxime pertinet, primi inter eos disciplinæ hujus antistites ob id potissimum eam feruntur esse amplexi, quod submittendis religioni ac fidei animis valde videretur accommoda.

## XV.

1. Igitur dubitandum esse, sustinendos assensus, temere non credendum clamat omnis Philosophia, & sacra & profana; nec ii solum qui dubitationem profitentur, sed Dogmatici quoque. Viderunt enim non aliter eripi errores, aut vitari posse, quam si semel præjudicatas omnes opiniones communi una & solenni dubitatione exuerentur. Hinc Philosophiæ suæ principia auspicatus Cartesius, provisione hac elidi stirpes omnes errorum ac purgari, & tuto ac certo iri ad veritatem arbitratus est. At qui prudenti cautione in aditu usi, eam intermiserant in progressu; quasi ad aliena tantum respuenda dogmata utilis esset dubitatio, suis vero abjiciendis opinationibus vel explorandis inopportuna, in flagitium ipsi, frustra in aliis animadversum, pari temeritate incurrunt.

(1) Horat. l. 11. Sat. 3.

(1) *Velut sylvis, ubi passim*
*Palantes error recto de tramite pellit:*
*Ille*

*Ille sinistrorsum, hic dextrorsum abit: unus utrisque*
*Error, sed variis illudit partibus. Hoc te*
*Crede modo insanum; nihilo ut sapientior ille*
*Qui te deridet, caudam trahat.*

2. Ut autem qui ad urbem versus ortum sitam ire cogitans, si ignarus viæ convertatur ad occasum, minus deerraverit moratus in bivio, quam alterutram capessens viam & longius procedens: ita mens humana affixa humi & terreno corpore implicita, atque hoc veluti sepimento interclusum sibi ad veritatem ascensum & aditum sentiens, cautius offensionem vitabit atque lapsum, si in inscitia sua, & in inscitiæ comite dubitatione acquiescat, quam si vanis assultibus aërem captet, & pro Junone nubem amplectatur. Atque hoc interest Dogmaticos inter & Scepticos. Quæ enim opinionum monstra non peperit illa confidentia? de quibus scriptum est à summis viris & omnis Philosophiæ consultis-

ſimis Cicerone & Varrone, uti jam ſupra a me notatum eſt, nihil à quoquam dici poſſe tam abſurdum, nihil ab ægro ſomniari poſſe tam infandum quod non dicatur ab aliquo Philoſophorum.

3 Academicis contra & Scepticis quæ tamdem dogmatum exprobrari poteſt perverſitas, qui nullum dogma defendunt? atque hi ſanè Philoſophi, ſi veram nominis ſignificationem quærimus, dicendi ſunt. Cum enim Philoſophia, ex interpretatione vocabuli ſit ſtudium ſapientiæ ſive veritatis; Sapientia autem ex definitione priſcorum Philoſophorum ſit ſcientia rerum divinarum & humanarum cauſſarumque quæ has res continent; quicumque ſtudent Sapientiæ vere Philoſophi dicendi ſunt: quicumque rerum divinarum & humanarum ſcientiam quæ Sapientia eſt, ſunt adepti, hi vere ſunt Sapientes. Scientiæ autem hujus adeptionem profitentur Dogmatici & Sapientum quoque nomen admiſerunt olim, quod primus repudiavit Pythagoras, inſcientiæ ſuæ ſibi con-

ſcius.

ſcius: ſtudioſum ſe tantum Sapientiæ dici paſſus eſt. (1) Τὸ γὰρ τοπάζειν, inquit Æſchylus, τοῦ σάφα εἰδέναι δίχα. *Aliud eſt enim ſuſpicari, quam certo ſcire.* Atqui hoc Academicorum proprium eſt, qui ex rebus divinis & humanis non modo nihil ſcire, ſed nihil ſcire ſe poſſe aiunt; eas tantum procul contemplari ſe & explorare. Sint ergo Sapientes, ut volent Dogmatici, quando tantum ſibi licere, & ſcientiam eam tenere ſe putant qua conſtat Sapientia. In modeſto & ſimplici Philoſophorum vocabulo continebunt ſe Academici & Sceptici, qui Sapientiam ſupra captum ſuum poſitam ſuſpiciunt & amant. Quamquam & de illis vere dictum eſt à Lactantio (2) Sapientiores eſſe eos qui ſe ex aliqua parte viderunt, quam illos qui ſapere ſe crediderunt.

Aeſchyl. Agam.

Lactant. l. IV. cap. 1.

## LIBER SECUNDUS.

*Explicatur accurate quænam tutissima videatur ac legitima Philosophandi ratio.*

### I.

Cum hoc disseruisset Galloligur ille, & longius progredi pararet, Sane, inquam, parum mihi probatur imperiosa illa sibique præfidens Philosophandi ratio, pertinaciter cogitatis suis & sententiis adhærescens; rectiorque visa est & quasi compendiaria ad veritatem via, modum in sentiendo, ac modestiam quoque in loquendo tenere; nec ullum umquam dogma tam obfirmato & irretorto animo defendere, quamlibet vero videatur esse proximum, ut non semper contradictionibus pateat locus, & a præcepta opinione paratus sis discedere. Contra vero vaga illa & instabilis Academicorum disciplina, quibus promtius est quid non sentiant quam quid sentiant dicere, magnam

magnam mihi videtur perturbationem rerum omnium & confusionem inducere, & omnem delere scientiam; cum quod optime scias, nihilo plus scire te scias, ac si plane nescias. Quamobrem valde ex te velim cognoscere quemnam dubitationibus suis modum præfinias. Nam si nullus dubitandi finis statuitur; si obscura, occulta, incerta sunt omnia; si nulla usquam patet ad veritatem via, ruit omnis Philosophia; nosque adeo omnes qui ad veri cognitionem studia nostra curasque tot annos conferimus, Sisyphi saxum volvimus. Tum ille contra, pervulgata est ista, inquit, adversus Academicos querela: quæ si æqua esset, non tam pertineret ad Academiam, quam ad Naturam ipsam. Nam quæ hæc Academiæ culpa est, hominem ita factum esse à Natura, ut veritatem marte suo firme non possit attingere? nihilo sane major quam volare non posse, quam immortalem non esse. Neque vero Academicos & Scepticos, vel ad comparandam doctrinam & Sapientiam,

vel

vel ad bene beateque vivendum, minores videmus tulisse fructus ex Sapientiæ studiis quam Dogmaticos. Sed hæc post viderimus. Nunc vero quando dubitationibus modum a me præscribi jubes, meam omnem tibi de prima hac Philosophia seu Philosophiæ potius radice sententiam explicabo: nam soli sumus, & liber nunc est apud te dicendi locus; hæc enim nolim, vel nolle certe debeam manare in vulgus: non vulgus dico cerdonum & opificum, sed ipsum vulgus literatorum, apud quos prope ab insano abesse Scepticus vel Academicus existimatur. Neque tamen hac ego religione ab his disciplinis repulsus sum, quarum rationem omnem accipe vel meam potius: Sic enim habeto in Philosophando me mei juris esse, mei arbitrii, meæ sectæ. Primum satis apparere puto ex rationibus supra expositis, ita comparatam esse hominis naturam, ut veritatem vi sua non possit clarissime firmissimeque cognoscere. In rebus ipsis veritatem esse non nego, veritatem eam nempe

pe quæ dicitur *exſiſtentiæ*, nam cognoſcuntur res a Deo, uti ſunt. At impedimentum in ipſo ineſt homine, quominus ab eo cognoſcantur: caret enim idoneis ad verum penitus cognoſcendum inſtrumentis. Minime equidem nego verum ullo modo ab homine cognoſci poſſe: tantum aio, penitus, liquido, certiſſimeque ab homine cognoſci non poſſe, ſumma illa & ſuprema *certitudine*, cui nihil ad perfectionem deſit, de qua ſupra egi, & infra quoque acturus ſum. Fieri enim poteſt, ut ideam in animo impreſſam habeat quiſpiam rei alicujus conſimilem (ſimilitudinem dico non abſolutam & propriam, quæ nonniſi inter res ejusdem generis exſtare poteſt, puta hominem inter & hominem, arborem inter & arborem; ſed imperfectam, quanta exemplar inter & imaginem intereſſe poteſt). At cum ex intuitu ideæ hujus mens judicium facit de re extrinſecus objecta unde idea illa proficiſcitur, firmiſſime clariſſimeque ſcire non poteſt, an judi-

cium hoc consentiat cum re objecta extrinsecus, qua in consensione veritatem diximus inesse: proindeque etsi verum percipit, se tamen verum percipere nescit, & perceptam esse a se veritatem pro certo habere non potest: ac proinde verum penitus non cognoscit. Quotiescumque igitur dico, res ab homine, rerumque veritatem cognosci non posse, firmam hanc, claram & exploratam cognitionem intelligo, qua non tantum cognoscitur verum, sed qua verum cognosci certissime scitur. Verum enim ita scire, ut verum scire te nescias, perinde est ac si verum nescias. Cur autem scire non possit homo, an judicium quod facit ex intuitu ideæ in animo suo effictæ, consentiat cum re externa ex qua ducta est idea hæc, rationes attulimus complures, & sunt in promtu. Præcipua hæc est, quod ideas rerum, judiciaque quæ ex ideis mens facit, ad res ipsas applicare non possumus, judiciorumque convenientiam cum rebus externis unde orta sunt, in qua ve-
ritas

ritas sita est, explorare. Quippe rerum formæ & species non proxime ac nullo interjecto medio a rebus ipsis derivatæ ad mentem nostram appellunt, sed plurimis interpositis rebus, ut supra probatum est, ac sensibus per quos infringuntur & vitiantur. Non ulla autem patet alia ad animum via, per quam ideæ rerum ad eum confluant.

II.

Verum hanc naturæ humanæ infirmitatem pro bonitate sua sumsit Deus, concesso nobis inæstimabili Fidei dono, per quod confirmatur titubans Ratio, & in cognoscendis rebus omne dubitationis vitium emendatur. Nam cum per Rationem, exempli gratia, certissime clarissimeque scire non possim, ullane sint corpora, quænam sit mundi origo, aliaque hujusmodi plurima, jam suscepta Fide dubitationes illæ evanescunt, tamquam exoriente sole Μορμολυκεῖα. Hinc Thomas: *Necessarium*

(1) *est*

(1) Thom. II, 2. Q. 2. a. 4. (1) *est homini accipere per modum Fidei, non solum ea quæ sunt supra Rationem, sed etiam ea quæ per Rationem cognosci possunt, propter certitudinem. Ratio enim humana in rebus divinis est multum deficiens: cujus signum est, quia Philosophi de rebus humanis naturali investigatione perscrutantes in multis erraverunt, & sibi ipsis contraria senserunt. Ut ergo esset indubitata & certa cognitio apud homines de Deo, oportuit quod divina eis per modum Fidei traderentur, quasi a Deo dicta, qui mentire non potest.* Manasse videntur ista ex his Augustini, quæ etsi à me jam recitata sunt, nunc quoque propter Scientiæ dignitatem & opportunitatem juvat iterare: *Quia caligantes* (2) *hominum mentes consuetudine tenebrarum, quibus in nocte peccatorum vitiorumque velantur, perspicuitati sanctitatique Rationis aspectum idoneum intendere nequeunt, saluberrime comparatum est, ut in lucem veritatis aciem titubantem, & veluti ramis humanitatis opacatam inducat auctoritas.* Tum hæc subjicit Thomas:

(2) August. de Morib. Eccles. Cathol. c. 2.

mas: *Investigatio* (1) *naturalis Rationis non sufficit humano generi ad cognitionem divinorum, etiam quæ Ratione ostendi possunt.* Et alibi: *Ea quæ demonstrative probari possunt, sicut Deum esse, & Deum esse unum, & alia hujusmodi inter credenda numerantur, quia præexiguntur ad ea quæ sunt Fidei, & oportet ea saltem præsupponi ab his qui eorum demonstrationem non habent.* Quæ autem de cognitione rerum divinarum differit Thomas, eadem ad rerum humanarum notitiam pertinere (2) Suares scribit. *Sæpe corrigimus*, inquit *naturale lumen per lumen Fidei etiam circa illa quæ videntur esse prima principia, ut patet in illo*, Quæcumque sunt eadem uni tertio, sunt eadem inter se: *quod in materia de Trinitate limitamus ad res finitas; & in aliis mysteriis, præsertim Incarnationis & Eucharistiæ, multa alia limitamus, ut Fidei non repugnent. Ergo signum est lumen Fidei certius esse, quia fundatur in prima veritate, quam fallere vel falli impossibilius est, quam natura-*

(1) Thom. 2a. 2æ. Q. 1. a. 4. Idem, art. 5.

(2) Suares, Disput. VI. de Fide, Sect. V. art. 11.

*lem*

*lem scientiam hominis errare.* Ne
(1) Rationi quidem tribui vult (1) Au-
August. de Serm. Domini in monte l. II. c. 5. gustinus veritatis notitiam, quam per Rationem mens nostra assequi putatur, sed lumini ipsi veritatis, a quo pro suæ capacitatis modo il-
(2) lustratur. *Cui veritas* (2) *comper-*
Tertull. de Anima c. 2. *ta sine Deo?* inquit Tertullianus: *cui Deus cognitus sine Christo? cui Christus exploratus, sine Spiritu Sancto? cui Spiritus Sanctus accommodatus, sine Fidei Sacramento?*
(3) Inde adeo (3) Apostolus, postquam
1 Corint. I, 19.20. hæc intonuit, *Perdam Sapientiam sapientium, & prudentiam prudentium reprobabo. Ubi Sapiens? ubi Scriba? ubi conquisitor ejus sæculi? Nonne Stultam fecit Deus sapientiam hujus mundi?* monuitque nos
(4) ne decipi nos patiamur (4) *per Phi-*
Colos. II, 8. *losophiam & inanem fallaciam, secundum traditionen hominum, secun-*
(5) *dum elementa mundi.* Idem (5) Fi-
2 Cor. I, 23. V. 7. Col. II, 7. de nos stare prædicat, per Fidem nos ambulare, & non per speciem, Fide confirmari. Quemadmodum igitur in rebus Fidei Rationi laboranti opitulatur Fides, ita in rebus cæteris per Rationem cognitis præ-

sto

ſto quoque eſt Fides, quæ dubiis firmitatem addat, & caducam Rationem fundoque dejectam velut in jura ſua reſtituat, in cognitionem nempe veritatis quam naturaliter appetit.

III.

Quid hoc eſt vero quod mox aiebas, inquam: (ſæpe enim hominem interpellabam) non aliam eſſe viam, per quam ideæ rerum ad animum confluunt, quam medias res interpoſitas, ſenſusque noſtros? annon innatas quasdam animus noſter ideas habet, nec à ſenſibus profectas, velut rerum corpore carentium, mentis, puta, noſtræ, Angeli, Dei ipſius? annon effata illa ſive notiones communes, quæ a Dialecticis dicuntur ἀξιώματα, annon univerſales ipſas naturas rerum cognoſcimus, quas *eſſentias* appellat vulgus Philoſophorum, quæ veræ ſunt, immutabiles & æternæ, non ut adventitiæ illæ ideæ, vitio & depravatione ſenſuum obnoxiæ? Tum ille, Illuc ibam,

ibam, inquit, meque institutæ disputationis ordo sponte eo ducebat. Capitalis autem hæc est, & ab ipsis principibus Philosophiæ decretoriis prope armis depugnata controversia; cum Pythagoras Timæus, & alii Pythagoræ affectatores; Socrates item & Plato; Platonique omnes innatas ideas defenderent; Democritus contra ejusque assecla Epicurus; item Aristoteles & omnis Peripateticorum cœtus, innatas nullas, adventitias omnes esse vellent & factitias atque à sensibus ductas. De eo, quando illuc delapsus sum, & tu requiris, judicium quoque interponam meum: sed audies quod neque omnes probent, neque fortasse tu. Cum mihi ad hominis dignitatem pertinere olim videretur ea, quam dixi, de ideis nobis innatis Platonis opinio, veram quoque esse valde optabam: præclarum enim & humanæ naturæ honorificum ducebam, animus divinitus excultum & cælestibus donis ornatum prodiisse. Conquirebam itaque argumenta omnia quibus

bus non mihi solum, sed aliis quoque sententia hæc probaretur. Quædam occurrebant apud Platonem, nonnulla apud Cartesium; quæ omnia movere non attentum hominem specie sua possint; cæterum si innatæ homini superbiæ occlusæ essent aures, plane infirma viderentur.

1. Præcipuo hoc ac prope unico argumento utitur Socrates apud Platonem, mentem humanam tam multiplices ac varias innumerabilium rerum notiones in tam angusto vitæ curriculo, in hac mole corporis, arripere non posse, nisi eas insitas attulisset; itaque hominem in vita illas non discere, sed recordari. Hæc oratore ad populum digniora sunt, quam Philosopho: nam qui ea negaverit, uti negaretur à me, animumque hominis dixerit esse hujusmodi, ut facillime agitetur, cum sensibus per res externas impulsis, fibrisque nervorum, & spiritibus subinde commotis percellitur cerebrum; cujus nuntio admonitus externorum animus, ipse vicissim agitet

 spi-

ſpiritus, ſulcosque ſubtiliſſimos in cerebro conſignatos recognoſcens, & diverſa componens, & conjuncta dividens, & ſimilia comparans, cernit præſentia, & rerum anteceſſiones & conſecutiones videt, quibus & vitæ ratio & diſciplinarum ſeries continentur. Hæc, inquam, qui dixerit, quid & tamdem opponet Plato?

2. Graviora affert Proclus. Mutabilia eſſe ait quæ oriuntur à ſenſibus: hominem autem ideas ſive ſpecies æternas & immutabiles animo inſitas habere, figurarum, numerorum, motuum: ac idcirco à ſenſibus haudquaquam ortas: alioqui ſi ab infirmis & fallacibus ſenſibus certiſſimæ & conſtantiſſimæ naſcerentur ſpecies, quod effectum eſſet perfectius fore ſua cauſſa. At nos æternas illas rerum ideas non agnoſcimus: nam idea, exempli gratia, trianguli quæ in me eſt, obſcurum quippiam eſt & confuſum, circumſcriptione carens & determinatione, natum ex ideis ſingulorum triangulorum quæ vidi. Atque id de omnibus

illis

illis ideis semel dictum velim, quæ *simplicis & puræ intelligentiæ* appellantur. Addit Proclus optimas esse demonstrationes quæ conflantur ex effatis magis universalibus, deteriores quæ ex singularibus: secus fore, si universalia fiant ex singularibus & sensibilibus; præstare quippe ea quæ oriuntur à caussa, iis quæ ab eo quod effectum est. Nunc quidem non disputo de vi demonstrationis ex universalibus vel singularibus conflatæ: id tantum nego, ea quæ a caussa proficiscuntur, præstare semper iis quæ nascuntur ab eo quod effectum est. Ut enim alendæ pecudi utilius est gramen, quam terra ex qua gramen prodiit; ita ad concinnandam argumentationem utiliora sunt universalia, quam singularia & sensibilia, licet & singularibus & sensibilibus universalia constent. Tertium denique hoc est Procli argumentum: Si à materia & sensibilibus mens accipit principales rerum ideas, manifestiores, & quæ magis sunt, eo præstare menti materiam. Quod

perinde est ut si dicat, nobilius esse marmor Praxitele, quippe in quo inerat Veneris simulacrum, quod ex eo Praxiteles eduxit.

3. At Cartesii longe diversa ratio est, & nihilo, si quid video, magis certa. Nam ex triplici genere idearum, quas affert, quarum aliæ adventitiæ sint, qualis in me est idea Solis, orta ex Solis conspectu; aliæ factitiæ, qualis idea Solis in mente Astronomi, quam confinxit ex suis rationibus & observationibus; aliæ ingenitæ sive naturales, cujusmodi sunt ideæ Dei, principiorum Geometricorum, Naturarum quæ essentiæ appellantur; priores duas ex sensibus ortas esse liquet: posterior quin arcessi possit indidem, vel juxta ipsa Cartesii argumenta, si rem propius inspexeris, caussa nulla est. Nam cum ideas illas naturales doceat esse facultatem ipsam cogitandi, qua prædita est mens nostra, idea Dei quæ in nobis est, nihil aliud est quam facultas cogitandi de Deo; ut ideæ naturales & ingenitæ rerum cæterarum sunt facul-

tas

tas cogitandi de rebus cæteris; facultas autem illa cogitandi, in quamcumque rem cogitandam conferatur, five Deum, five hominem, five Solem, eadem facultas eft; ut canendi facultas, five Pæanem decantes, five Dithyrambum, five Hymenæum, facultas eft eadem. At facultas cogitandi de Sole aut homine, five idea Solis aut hominis adventitia eft, ac proinde & illa Dei. Pares effe has ideas agnofcit ipfe Cartefius, cum ait ne Solis quidem aut hominis ideam a rebus externis proficifci, fed eas fibi confingere mentem, poftquam excitata eft per motus quosdam corporeos; multoque magis id dicendum effe de ideis rerum, quæ neutiquam confinguntur a mente noftra per motus corporeos excitata; puta Dei, naturarum, & axiomatum. Quæ cum differit, eamdem omnino affignat originem, eamdemque naturam ideis adventitiis & iis quas naturales five ingenitas appellat. Equidem cum accepiffem, graviffimos Philofophos exiftimaffe tam præ-

claris dotibus instructum humanum animum non beneficio sensuum, sed ab ipso ortu exstitisse, sæpe, & diu, & attente intimos animi mei penus perlustrare, & bona illic recondita recensere institui, si forte nativas illas opes ab ascititiis internoscerem. Verum quantumvis diligens a me cura adhibita sit, nullam in me deprehendi ideam, quam non irrepsisse extrinsecus, ac res quoque externas unde orta erat, & vias etiam per quas ei in animum meum aditus patuerat, clarissime mihi perspexisse visus sim. Aliorum porro animos ex meo spectare posse credidi: affirmare quippe ausim, quisquis non nimis sui amans, sibique indulgens explicare intelligentiam suam atque excutere volet, & complicatas animi notiones evolvere, nullam in eo deprehensurum ideam, quæ non ex rerum extrinsecus objectarum simulacris conflata sit. Quærunt adversarii unde habeam ideam trianguli, nempe ex sexcentis triangulis quæ vidi, & ex quibus obscuram quidem & confusam

fuſam, non definitam & certis terminis circumſcriptam trianguli ideam confinxi. Quærunt unde habeam ideam numeri alicujus, puta, quaternionis: ex rebus nimirum quaternis, quas ſimul videre mihi ſæpe contigit: velut ex quatuor pedibus equi, vel ex quatuor angulis formæ quadratæ, & ex naturali etiam animi mei vi, qui licet nusquam mihi videre contigiſſet res quaternas, facile tamen ad duas res quas ſæpe vidi, alias duas adjicit, vel cum tribus unam conjungit; & deinde ex rebus numeratis numerum ipſum educens & abſtrahens ſolitarium illum ſpectat. Quærunt unde habeam ideam motus: ex variis nimirum corporum motibus, quæ ſæpius movere ſenſi, unde animus meus motum disjungens à re mobili, ideam quamdam motus informavit, non claram, non nitidam & expreſſam, ſed adumbratam & confuſam: quemadmodum cum oculos ex magna luce in tenebras referimus, obſcura lux quædam & incerta videtur ad aliquod tem-

pus oculis obversari. Quærunt unde hæc mihi insederit notio, quæ sunt uni alicui æqualia, inter se esse æqualia: ex frequenti nimirum observatione rerum quæ ad eamdem mensuram exactæ inter se fuerunt æquales: & ex animi quoque mei efficientia, qui mensuram aliquam imaginariam duabus rebus adhibere se fingens, æquales eas videtur deprehendere. Unde vaga illa generalis, & nullis rebus addicta permansit in animo meo opinio, quotiescumque duas res cum mensura aliqua communi congruerent, fore æquales. Quærunt unde habeam ideam Dei, & rerum corpore carentium: egregie respondet (1) Thomas: *Incorporea, quorum non sunt phantasmata, cognosci à nobis per comparationem ad corpora sensibilia, quorum sunt phantasmata; sicut veritatem intelligimus ex consideratione rei circa quam veritatem speculamur.* Addit præterea juxta Dionysii sententiam, Deum cognosci ut caussam, *& per excessum & remotionem*; resque cæteras corpore carentes à nobis

(1) Thom. p. 1. Q. 84. art. 7. & 8.

nobis cognoſci non poſſe, quamdiu mortali hoc corpore attinemur, *niſi per remotionem vel aliquam comparationem ad corporalia*, quod ut fiat neceſſe habere nos *converti ad phantasmata corporum*, *licet ipſorum non ſint phantasmata.* Sed hæc nimis: quamquam capitale iſtud erat: ſunt enim qui ex illo innatarum idearum figmento, quo nihil eſt inanius, ſpecioſa miracula depromant. Sed curſum teneamus, inquit ille, me compellans: niſi ad hæc fortaſſe vis aliquid. Nihil nunc quidem, inquam, ad id quod defendis, nempe quidquid intelligimus, id nos prius vel totum ſummatim vel particulatim ſenſiſſe: opinionem enim tuam quærimus; noſtram in præſentia proponere nihil attinet. Perge ergo explicare reliqua. Hic ille: Conſtet igitur, inquit, nos verum liquido non poſſe percipere; ac propterea quantalibet à nobis adhibeatur in rebus conſiderandis diligentia & attentio, quantalibet etiam in iis à nobis deprehendatur ſimilitudo veri & perſpicuitas, neu-

liquam tamen iis certe penitus assentiendum, sed habendas eas semper pro dubiis. Hinc quoque efficitur ludere operam quicumque verum illud liquidum atque constans, nulla dubitatione infuscatum quærere se profitentur, quod humanæ menti inexplicabile est. Memineris porro eorum quæ initio sermonis hujus dicta sunt a me de variis *certitudinis* gradibus atque modis. Supremam illam & perfectam *certitudinem* nunc quærimus, cui nihil ad summam absolutionem desit, quam nobis neque Ratio neque Sensus præstare possunt, cujusque usuram non ante possumus consequi, quam Deo ipsi, qui fons est veritatis, in cælo conjuncti simus. Alioquin non negamus humanam mentem, dum mortali illigata est corpori, attingere posse summam certitudinem humanam, quæ etsi (1) *tenebris in nocte peccatorum vallata est, & ramis humanitatis opacata*, ut ait Augustinus, sua tamen valet acie; obtutusque, si non irretortos, alacres tamen in veritate potest defigere.

(1) Aug. de Morib. Eccles. Cathol. c. 2.

figere. Ut quamvis ex Lilybæo naves Carthaginensi portu solventes cernere & numerare non possum, eas tamen ex propinquo cernere possum: & quamvis Solem intueri non possum, nihilominus Lunam atque stellas intueri possum. Mens autem animi nostri oculus est; Sol veritas ipsa, cujus radios, si non rectos, at reflexos & refractos, velisque temperatos pati possumus.

IV.

Non ergo extinguimus lumen omne animi, non errore perpetuo mens nostra vagatur; non stipites facti solo hæremus, omnium ignari, expertes consilii, sublata omni ratione vivendi, nec satis quidem scientes standumne sit an sedendum: quod male feriati & imperiti homines nobis objiciunt. Nam etsi media nocte non ambulamus in Sole; at ambulamus ad vicariam lucem Lunæ: & quamvis certam veri perspicientiam non habemus, nobis tamen fiunt quædam similia

veri: quæ cum dico nobis videri vera, non proinde affirmo esse vera. Aliud enim longe est nobis videri ac esse. Imo ne quidem affirmo nobis videri vera, tantum id quoque nobis videri dico: nam ut incertum esse dico quod verisimile est, ita visum quoque verisimilis incertum esse dico. Adeo ut cum rem verisimilem mihi videri dico, hoc enuntiatum legi quoque incerti subjaceat. Hæc cum tanta circumspectione tamque accurata consideratione dissereret acutus ille Vir, quam mira mihi accideret hominis cautio & timiditas, ex vestro ipsorum judicio existimate. Cum ita pergebat: Porro hæc verisimilia & probabilia in communi usu vitæ sequamur pro veris; sive cum nos quapiam trahit naturalis animi sensuumque propensio; sive cum urgemur affectionibus & cupiditatibus corporis, velut fame aut siti; sive cum consuetudinibus vulgo receptis legibusve est obtemperandum; sive cum artes ad vitam necessariæ tractandæ sunt. Contra respuamus pro falsis dissimilia veri

&

& improbabilia, ne inertes simus & cessatores, imo ne vacerræ, caudices trunci atque saxa. Hinc parata est responsio, cum quæritur liceatne per nos opinari: purgari jubemus istam vocem: nam si opinari dicas, rebus dubiis assentiri in Philosophicis meditationibus & disceptationibus, & incerta pro certis affirmare; numquam opinari decet Sapientem, ut locum habeat istud Theognidis:

Δόξα μὲν ἀνθρώποισι κακὸν μέγα, πεῖρα δ' ἄριστον.

*Opinio quidem hominibus magnum malum, experientia vero optima.*

Suprema enim lex est, cum de vero agitur, cavendam esse assentiendi inconsiderantiam & affirmandi temeritatem. Sin velis opinari, idem esse quod probabilia sequi in agenda vita, opinari jus fasque est. Similis quoque adhibenda distinctio est vocabulo assentiendi; id si feceris, magnas sustuleris lites, quæ Academicos veteres exercuerunt. Quam ergo

curam & diligentiam in inquisitione veri ponendam alii censent, eamdem nos probabilibus internoscendis tribuemus; & ut alii ad ea quæ vera esse putant, sic nos ad ea quæ veri videbuntur esse similia, mores vitamque exigemus: atque eatenus erimus Zetetici, hoc est, si verbum interpretari velis, Quæsitores & Exploratores ut probabilia reperiamus.

V.

Quemadmodum autem Dogmatici ad verum à falso discernendum adhibent Criterium, vel sensum, vel intellectum, vel utrumque: sic nos ad probabilia dijudicanda ab improbabilibus, Criterio utemur, quod ex iis quæ dicta sunt, etiam me silente, facile intelligis esse duplex, proximum & remotum; & proximum quidem nihil aliud esse quam posituram, descriptionem & collocationem fibrarum cerebri; ac speciem seu formam vestigiorum, quæ sive nervi, sive spiritus, a rebus externis

ternis, sensuum ope excitati in cerebro reliquerunt, ideasque inde ortas. Has enim ideas, hæc vestigia recognoscens animus, ex eorum specie, de caussa ortu & significatione arbitrium facit; atque hinc existimat species rerum, ex quibus pendet verisimilitudo: remotum vero esse sensus, qui a rebus externis commoti, vestigia quædam per nervos & spiritus designant in cerebro; quæ relegens animus de rebus extrinsecus positis fert judicium.

## VI.

Proposito Criterio, quo disciplina nostra regitur, ejusdem quoque finis explicandus est. Finem dico id ad quod referuntur partes omnes disciplinæ, & quod omnium quæ per eam assequi volumus postremum est. Ejus autem duplex itidem est finis proximus & remotus. Proximus est erroris, pertinaciæ & arrogantiæ vitatio: remotus, præparatio animi ad susceptionem Fidei. Cum enim simus ad

id.

id procreati à Deo, ut ipsum, dum vita fruimur, amando & colendo, beatitatem æternam post mortem adipiscamur, opportuna nobis ad id præbet subsidia. Nam magnum nobis ingeneravit beatitudinis desiderium: nemo quippe est qui non beatus esse velit. Quoniam autem cognitio veri pars est beatitudinis, adeo ut finem bonorum in scientiæ adeptione collocarint non contemnendi quidam Philosophi; propterea verum cognoscere vehementer avemus, trahimurque omnes ad ejus investigationem. At quandoquidem beatitudinis capax non est mortalis hæc vita, ita nec scientiæ: tantum ingenita nobis est veri videndi cupiditas, qua tamquam stimulo excitamur ad beatitudinem, in qua inest perfecta veri cognitio, persequendam. Beatitudo quippe posita est in visione Dei qui æternus & immensus fons est veritatis. Cæterum is ad acuendam hanc scientiæ cupiditatem, quam mortali homini ingenuit, scintillas quasdam & stricturas ejus animo addi-
dit

dit velut fomitem: & fubobfcuram ac dubiam cognitionem rerum; ad veritatem clariffime firmiffimeque percipiendam parum; ad vitam regendam & tuendam fatis: & per quam imbecillitatis & infcitiæ fuæ admonitus homo rationi fuæ diffideret, vitaret errorem, affentiendi fugeret imprudentiam, ac omnem pertinaciam deponeret, parumque in Ratione hac ad inveniendum verum opis effe intelligens, ad aliud quærendum fubfidium invitaretur. Atqui hoc fubfidium Fides eft, per quam homo aliquam Dei divinarumque rerum notitiam affequitur, dum in vivis eft, ac beatitatem demum poft mortem adeptus, perfecti veri cognitione fruitur. *Ex parte* (1) *enim cognofcimus*, inquit Apoftolus; *cum autem venerit quod perfectum eft, evacuabitur quod ex parte eft. Videmus nunc per fpeculum in ænigmate, tunc autem facie ad faciem.* At Fides cæleste donum eft, quam iis largiri amat Deus, qui neque nimium naturæ fuæ viribus, neque nimis arrogan-

(1) 1 Cor. III, 9. 10. 12.

ter

ter Rationes suæ solertiæ confidunt, neque nimis pertinaciter adhærescunt opinionibus suis, animumque ad eam suscipiendam diligenti cultura subigunt. Atque hæc efficit illa quam tradimus dubitandi disciplina. Probabilia igitur sequentes pro veris, utamur rudi hac & adumbrata, quam nobis concessit Deus, cognitione rerum, & quæ sufficit ad tuendam vitam, & ad animos fidei submittendos imprimis utilis est. Adhibeamus eam quoque ad studia Philosophiæ, ne incognita habeamus pro cognitis, & rapiamur in errores quos non vitare turpissimum est, cum possimus.

## VII.

Demus vero potissimum operam ne magistri ullius in verba juremus, aut cujusquam nos addicamus sectæ; nullius certe è Dogmaticis, qui veritatem certissime & indubitanter attingere se per Rationem posse putantes, peccant in ipso principio, & quasi in ipsis Phi-

Philoſophiæ carceribus corruunt. Ac ne Academicis quidem aut Scepticis ita ſimus mancipati, ut non ab his ipſis, ſi uſus poſtulaverit, diſcedamus, revocantes ſingula ad animi trutinam, ſummamque in omnibus diſſerendi libertatem retinentes. Quemadmodum enim Pyrrhonis rationem immutavit Arceſilas, & ab Arceſila diſceſſit Carneades, à Carneade Philo, ab hoc Antiochus; ita nos jure eodem uti par eſt. Nam verbi gratia in eo diſſentimus ab Academicis & Scepticis quod verum ſe quærere, ejusque inveniendi cauſſa pertentare ſingula, & utrimque expendere profeſſi ſunt, ac propterea Zetetici dici voluerunt. Nam quod verum tamdem tam conſtanti tamque diuturna inquiſitione invenerunt? Dixiſſent potius ſe falſum vitare, quam verum perſequi. Vitatur enim falſum aſſenſionibus retinendis quod in noſtra poteſtate eſt; at poteſtatem noſtram captumque ſuperat perceptio liquidi illius & explorati veri, uti oſtendimus. Futile autem eſt id

ſectari,

sectari, quod assequi non possis. Dissentimus præterea à Scepticis, cum in aliis plerisque, tum maxime in iis quæ pertinent ad finem bonorum, quem volunt esse constantem animi statum & nulli perturbationi obnoxium in rebus opinabilibus, quemque ἀταραξίαν appellant; in rebus vero coactis μετριοπάθειαν, seu in iis ferendis moderationem & æquabilitatem; nos erroris, pertinaciæ & arrogantiæ vitationem, & præparationem animi ad suscipiendam Fidem.

VIII.

Nullius igitur disciplinæ legibus obligati, exploramus singulas: & quidquid nos specie veritatis movet, delibamus; nec quis aliquid dixerit, sed quid dictum sit attendimus. Quod si nos etiam marte nostro utile quippiam possumus comminisci, adhærescimus huic quoque, nec bona nostra recusamus. At ubique tamen opportunam, nec umquam omittendam dubitandi legem adhibemus, idipsum

sum relinquere parati quod fueramus amplexi, simulac probabilius quippiam occurrerit, summaque semper judicii libertate utentes, nulla nos umquam necessitate vel auctoritate astringi patimur.

## IX.

Cavemus autem præcipuè, ne quid admittamus quantumlibet probabile, quod Fidei revelatæ sit adversarium: pro certissimo atque rato, nec ulli dubitationi obnoxio habentes, quidquid per fidem Rationis ducem & magistram in animis nostris signavit Deus: pro dubitabili quidquid Ratio nos docuit.

## X.

Cæterum in libera hac & soluta Philosophandi & per omnes disciplinas cursitandi ratione, magnos habemus viros quos sequamur: Platonem imprimis, qui ex Pythagoræ, Epicharmi, Parmenidis, Heraclii & Socratis sententiis disciplinam suam contexuit: quam & trans-

transmarinis Ægyptiorum opibus locupletavit. Nam Pythagoram secutus Geometricas formas & numeros rebus naturalibus adhibuit; eodem auctore exploravit res quæ mente percipiuntur: Heraclito eas quæ sensu afficiunt: idearum doctrinam sumsit ex Epicharmo: moralia, politica & œconomica ex Socrate; ex Ægyptiis denique rerum per figmenta & fabulas explicandarum morem. Cicero quoque Academicum se ferens, vagatur tamen per Scholas Philosophorum, & quidquid animo collibitum est palam excerpit suumque facit. Nam & Socraticus & Platonicus passim vult haberi, & sæpe adhæret Stoicis & nonnumquam totus suus est. Nec ita Aristippum & Epicurum sectatur Horatius, ut non etiam aliquando Peripateticus (1) fiat aut Stoicus, nullius certe disciplinæ vinculis impeditus. Non se cuiquam mancipasse profitetur (2) Seneca, nullius nomen ferre: multum magnorum virorum judicio credere, aliquid & suo vindicare, suam se viam sequi, & per se ire;

(1) Horat. Carm. l. I. Od. 34. & l. I. Epist. 1.

(2) Senec. Epist. 16. 21. 33. 45. 80. De Otio Sap. c. 30.

ire; permittere se sibi & invenire aliquid, & mutare & relinquere; non servire se prioribus, sed assentiri. Itaque quidquid bene dictum est ab ullo arripit propriumque esse vult, & in Philosophia faciendum ait quod in Senatu; quum censuit aliquis quod ex parte placet, dividendam sententiam, & sequendum quod allubescit: quippe unum semper sequi, non vitæ sed factionis esse: Philosophos carpit sequaces, pedissequos, alienis semper inhærentes vestigiis, numquam suis, in ea re quæ adhuc quæritur, veritate nimirum; nec umquam invenient, præsertim si in ea quærenda contenti fuerint rebus jam inventis. Utendum quidem esse vult via veteri; sed si planior occurrat, hanc muniendam. Igitur etsi Stoicis dederat nomen, sæpe eos deserit, & fit nonnumquam Epicureus. Nec sine piaculo præterire possumus (1) Origenem qui per omnes Philosophorum Scholas exspatiari & prædas agere solebat. Ita scilicet fuerat institutus a magistro (2) Clemente Alexandrino, qui

(1) Origenian. l. II. c. 1. §. 4.

(2) Clem. Alex. Strom. l. I.

qui ſolam eam diſciplinam Philoſophiæ nomine dignam cenſebat, non quæ auctorem habet vel Platonem, vel Ariſtotelem, vel Epicurum, vel Zenonem, ſed quæ ex his omnibus meliora decerpit, & Eclectica appellatur. Tenuit eumdem morem (1) Lactantius, iisque ſe aſſenſurum profeſſus eſt, qui veritatem per ſectas diffuſam colligerent, & in unum corpus redigerent; ſed id à nemine niſi veri perito effici poſſe: verum autem ſcire ejus eſſe tantum qui doctus ſit a Deo. Graviter autem reprehendit eos qui uni addicti ſectæ cæteras repudiant tamquam inanes atque falſas, & quæcumque afferuntur a diſſentientibus ſine delectu oppugnant. In ea Medicorum ſecta quæ Methodice appellatur, & proxime accedit ad Scepſin, Sexto Empirico (2) teſte fuerunt aliqui qui Eclecticos ſe profitentur, in quibus memoratur Archigenes Apamienſis. Naſcens illa Philoſophorum Anglorum regia Societas tot nobilium ingeniorum altrix, & Dogmaticorum averſatur arro-

(1) Lactant. l. VII, c. 7.

(2) S Empir. Hyp. l. I. c. 34.

arrogantiam & nulli obligata diſciplinæ, vel in optimis ſeligendis & excolendis, vel in melioribus inveniendis tota verſatur: dignior quam ſequantur poſteri, quam quæ aliis ſe addicat. Quod ſi eos denique omnes conferas in hunc cenſum, qui non uni certe ita ſe manciparunt ſectæ, ut in alias quoque non excurrerint, easque compilaverint, creſcit numerus in immenſum. Neque me repellit ab hac via excerptarum hinc inde opinionum repugnantia, quæ non ex unis & iisdem ortæ principiis vix ſimul poſſe videntur conſiſtere: nam à principiis ipſis delectus inchoandus eſt; quæ poſtquam ſemel fuerint conſtituta, nullæ deinceps admittendæ erunt ſententiæ quæ non & cum iis & ipſæ ſimul congruant. Velut ſi quis inane admiſerit cum Democrito, ineptus ſit ſi cum Carteſio deinde corporis naturam in eo poſitam eſſe ſentiat, quod extenſum ſit in longitudinem, latitudinem & altitudinem. Neque vero putandum eſt tantum fuiſſe vecordiæ in Potamone Eclec-
 ticisve

ticisve quorum hic ſignifer fuit, ut in contraria pugnantiaque dogmata ſe induerent. Conflaverat ille certam quamdam diſciplinam, cujus & elementa in libellum redegerat. Diſciplinæ hujus partes inter ſe inita proportione ac comparatione aliqua conſenſiſſe credendum eſt. Similem quoque à relictis Eclecticis adhibitam cautionem dicas, qui ne ea quidem omnia quæ probaſſet Potamo, ſed ejus tantum rationem excerpendi hinc inde optima quæque ſecuti ſunt. Nos vero, etſi eamdem probamus rationem, non idcirco tamen Potamonici aut Eclectici volumus haberi: id enim eſſet alicui ſectæ ſe addicere, quod maxime fugimus, ne judicii libertatem amittamus. Præterea Dogmaticum fuiſſe Potamonem, vel inde conjicere licet, quod qui doctrinæ hujus deſcripſerunt capita, nullum proferant, quod attinuerit ad ſectas aſſenſionum adverſarias, vixque ullum reperias inter Eclecticos qui Academicis Scepticisve adhæſerit. Denique multa ſunt in quibus a

Po-

Potamone aliorumque Eclecticorum opinionibus recedimus.

## XI.

Quod si quis nunc roget quinam tamdem simus, qui neque Academici, neque Sceptici: neque Eclectici, neque ulli alteri factioni addicti esse volumus, nostros nos esse respondebimus, hoc est, liberos, nec ullius auctoritati animum nostrum submittentes; id tantum probantes quod ad veritatem propius videtur accedere. Si quis ergo, vel convitiandi, vel palpandi gratia nos *ἰδιογνώμωνας* appellet, non repugnabimus.

# LIBER TERTIUS.

*Opponuntur argumenta adversariorum, & refelluntur.*

## I.

Minime autem existimetis, boni viri, me dedisse illico manus captiosæ scientiæ, veramque Philosophiam inerti silentio prodidisse. Imo vero strenuè causam egi Dogmaticorum; sed rem uti acta inter nos est, narrare pergam. Nam cum disputationem hanc penitus à se profligatam, me vero plane convictum putaret Ligur noster, sic eam concludebat. Habes sermonem hominis non satis verecundi, qui te audiente inter dissentientes tot insignes Philosophos non arbiter modo honorarius, sed emendator ac censor sedere ausus sim: verum mos gerendus fuit voluntati tuæ, leviusque peccatum visum est res attrectare perplexas & difficiles, quam amicissimi hominis voluntatem contemnere.

temnere. Mihi vero, inquam ego, rem fecisti longe gratissimam: nam ea disputata sunt a te quæ & mihi jucundum fuit perdiscere, & olim recognoscere erit suavissimum. At ne nunc quidem te hac opera quam mihi locasti defunctum credas: jam enim tibi præliandum est cum catervis Dogmaticorum, quod contumax est & intractabile Philosophorum genus; ac vereor ut eorum impetus sustineas. Nam primum te hoc telo petent, quod jam a te prævisum est nec satis tamen vitatum; Philosophiam hanc quam sequeris, cum & sensus eripiat & mentem lumine orbet, & falsa confundat cum veris, hominemque privet approbatione & judicio, *totum vitæ statum evertere*, licet enim adhibere verba Tertulliani, *omnem naturæ ordinem turbari*, nullamque actionem superesse, nec habere quemquam quo se vertat, quo se commoveat.

# LIBER TERTIUS.

*Opponuntur argumenta adversariorum, & refelluntur.*

## I.

Minime autem existimetis, boni viri, me dedisse illico manus captiosæ scientiæ, veramque Philosophiam inerti silentio prodidisse. Imo vero strenuè caussam egi Dogmaticorum; sed rem uti acta inter nos est, narrare pergam. Nam cum disputationem hanc penitus à se profligatam, me vero plane convictum putaret Ligur noster, sic eam concludebat. Habes sermonem hominis non satis verecundi, qui te audiente inter dissentientes tot insignes Philosophos non arbiter modo honorarius, sed emendator ac censor sedere ausus sim: verum mos gerendus fuit voluntati tuæ, leviusque peccatum visum est res attrectare perplexas & difficiles, quam amicissimi hominis voluntatem contemnere.

temnere. Mihi vero, inquam ego, rem fecisti longe gratissimam: nam ea disputata sunt a te quæ & mihi jucundum fuit perdiscere, & olim recognoscere erit suavissimum. At ne nunc quidem te hac opera quam mihi locasti defunctum credas: jam enim tibi præliandum est cum catervis Dogmaticorum, quod contumax est & intractabile Philosophorum genus; ac vereor ut eorum impetus sustineas. Nam primum te hoc telo petent, quod jam a te prævisum est nec satis tamen vitatum; Philosophiam hanc quam sequeris, cum & sensus eripiat & mentem lumine orbet, & falsa confundat cum veris, hominemque privet approbatione & judicio, *totum vitæ statum evertere*, licet enim adhibere verba Tertulliani, *omnem naturæ ordinem turbari*, nullamque actionem superesse, nec habere quemquam quo se vertat, quo se commoveat.

# LIBER TERTIUS.

*Opponuntur argumenta adversariorum, & refelluntur.*

## I.

Minime autem exiſtimetis, boni viri, me dediſſe illico manus captioſæ ſcientiæ, veramque Philoſophiam inerti ſilentio prodidiſſe. Imo vero ſtrenuè cauſam egi Dogmaticorum; ſed rem uti acta inter nos eſt, narrare pergam. Nam cum diſputationem hanc penitus à ſe profligatam, me vero plane convictum putaret Ligur noſter, ſic eam concludebat. Habes ſermonem hominis non ſatis verecundi, qui te audiente inter diſſentientes tot inſignes Philoſophos non arbiter modo honorarius, ſed emendator ac cenſor ſedere auſus ſim: verum mos gerendus fuit voluntati tuæ, leviusque peccatum viſum eſt res attrectare perplexas & difficiles, quam amiciſſimi hominis voluntatem contemnere.

temnere. Mihi vero, inquam ego, rem fecisti longe gratissimam: nam ea disputata sunt a te quæ & mihi jucundum fuit perdiscere, & olim recognoscere erit suavissimum. At ne nunc quidem te hac opera quam mihi locasti defunctum credas: jam enim tibi præliandum est cum catervis Dogmaticorum, quod contumax est & intractabile Philosophorum genus; ac vereor ut eorum impetus sustineas. Nam primum te hoc telo petent, quod jam a te prævisum est nec satis tamen vitatum; Philosophiam hanc quam sequeris, cum & sensus eripiat & mentem lumine orbet, & falsa confundat cum veris, hominemque privet approbatione & judicio, *totum vitæ statum evertere*, licet enim adhibere verba Tertulliani, *omnem naturæ ordinem turbari*, nullamque actionem superesse, nec habere quemquam quo se vertat, quo se commoveat.

## LIBER TERTIUS.

*Opponuntur argumenta adversariorum, & refelluntur.*

### I.

Minime autem exiſtimetis, boni viri, me dediſſe illico manus captioſæ ſcientiæ, veramque Philoſophiam inerti ſilentio prodidiſſe. Imo vero ſtrenuè cauſam egi Dogmaticorum; ſed rem uti acta inter nos eſt, narrare pergam. Nam cum diſputationem hanc penitus à ſe profligatam, me vero plane convictum putaret Ligur noſter, ſic eam concludebat. Habes ſermonem hominis non ſatis verecundi, qui te audiente inter diſſentientes tot inſignes Philoſophos non arbiter modo honorarius, ſed emendator ac cenſor ſedere auſus ſim: verum mos gerendus fuit voluntati tuæ, leviusque peccatum viſum eſt res attrectare perplexas & difficiles, quam amiciſſimi hominis voluntatem contemnere.

temnere. Mihi vero, inquam ego, rem fecisti longe gratissimam: nam ea disputata sunt a te quæ & mihi jucundum fuit perdiscere, & olim recognoscere erit suavissimum. At ne nunc quidem te hac opera quam mihi locasti defunctum credas: jam enim tibi præliandum est cum catervis Dogmaticorum, quod contumax est & intractabile Philosophorum genus; ac vereor ut eorum impetus sustineas. Nam primum te hoc telo petent, quod jam a te prævisum est nec satis tamen vitatum; Philosophiam hanc quam sequeris, cum & sensus eripiat & mentem lumine orbet, & falsa confundat cum veris, hominemque privet approbatione & judicio, *totum vitæ statum evertere*, licet enim adhibere verba Tertulliani, *omnem naturæ ordinem turbari*, nullamque actionem superesse, nec habere quemquam quo se vertat, quo se commoveat.

ticisve quorum hic signifer fuit, ut in contraria pugnantiaque dogmata se induerent. Conflaverat ille certam quamdam disciplinam, cujus & elementa in libellum redegerat. Disciplinæ hujus partes inter se inita proportione ac comparatione aliqua consensisse credendum est. Similem quoque à relictis Eclecticis adhibitam cautionem dicas, qui ne ea quidem omnia quæ probasset Potamo, sed ejus tantum rationem excerpendi hinc inde optima quæque secuti sunt. Nos vero, etsi eamdem probamus rationem, non idcirco tamen Potamonici aut Eclectici volumus haberi: id enim esset alicui sectæ se addicere, quod maxime fugimus, ne judicii libertatem amittamus. Præterea Dogmaticum fuisse Potamonem, vel inde conjicere licet, quod qui doctrinæ hujus descripserunt capita, nullum proferant, quod attinuerit ad sectas assensionum adversarias, vixque ullum reperias inter Eclecticos qui Academicis Scepticisve adhæserit. Denique multa sunt in quibus a Po-

Potamone aliorumque Eclecticorum opinionibus recedimus.

XI.

Quod si quis nunc roget quinam tamdem simus, qui neque Academici, neque Sceptici: neque Eclectici, neque ulli alteri factioni addicti esse volumus, nostros nos esse respondebimus, hoc est, liberos, nec ullius auctoritati animum nostrum submittentes; id tantum probantes quod ad veritatem propius videtur accedere. Si quis ergo, vel convitiandi, vel palpandi gratia nos ἰδιογνώμονας appellet, non repugnabimus.

## LIBER TERTIUS.

*Opponuntur argumenta adverſariorum, & refelluntur.*

### I.

Minime autem exiſtimetis, boni viri, me dediſſe illico manus captioſæ ſcientiæ, veramque Philoſophiam inerti ſilentio prodidiſſe. Imo vero ſtrenuè cauſam egi Dogmaticorum; ſed rem uti acta inter nos eſt, narrare pergam. Nam cum diſputationem hanc penitus à ſe profligatam, me vero plane convictum putaret Ligur noſter, ſic eam concludebat. Habes ſermonem hominis non ſatis verecundi, qui te audiente inter diſſentientes tot inſignes Philoſophos non arbiter modo honorarius, ſed emendator ac cenſor ſedere auſus ſim: verum mos gerendus fuit voluntati tuæ, leviusque peccatum viſum eſt res attrectare perplexas & difficiles, quam amiciſſimi hominis voluntatem contemnere.

temnere. Mihi vero, inquam ego, rem fecisti longe gratissimam: nam ea disputata sunt a te quæ & mihi jucundum fuit perdiscere, & olim recognoscere erit suavissimum. At ne nunc quidem te hac opera quam mihi locasti defunctum credas: jam enim tibi præliandum est cum catervis Dogmaticorum, quod contumax est & intractabile Philosophorum genus; ac vereor ut eorum impetus sustineas. Nam primum te hoc telo petent, quod jam a te prævisum est nec satis tamen vitatum; Philosophiam hanc quam sequeris, cum & sensus eripiat & mentem lumine orbet, & falsa confundat cum veris, hominemque privet approbatione & judicio, *totum vitæ statum evertere*, licet enim adhibere verba Tertulliani, *omnem naturæ ordinem turbari*, nullamque actionem superesse, nec habere quemquam quo se vertat, quo se commoveat.

## II.

Moribus, inquis, consuetudinibus, legibus ducimur, rapimur motu reliquorum hominum, ne penitus simus stipites solo affixi: at amittitis certe scientiam, clarissimum animi lumen, nec ullam relinquitis scintillam ad perspiciendum verum: atque hanc potissimum ob rem jamdudum apud Ethnicos vel diuturnitate extabuit, vel explosa est Secta Pyrrhoniorum: recepta quippe ea jacere necesse erat reliquas disciplinas. Itaque perpaucos admodum ac prope nullos aliqua eruditionis commendatione insignes exstitisse videas ex umbraculis Scepticorum aut etiam novitiorum Academicorum quos meros fuisse Scepticos plane tibi assentior.

## III.

Nihilo satius est quod dicitis, verisimilia vos sequi pro veris: nam si speciem aliquam & notam veri,

veri, quam ſequamini, in rebus exſtare conceditis, fateamini neceſſe eſt habere vos regulam aliquam internoſcendi veri & falſi; quid enim aliud eſt ſpecies ſeu nota veri, quam id quo verum diſtinguitur à falſo? quod ſi normam eſſe aliquam dijudicandi veri & falſi vicero, jam patet aditus ad verum. Ex his porro vide quid ſequatur: cum in re aliqua deprehenditis ſpeciem veri, ex qua rem illam veriſimilem & probabilem eſſe dicitis, hoc ipſum certe percipitis, rem ſcilicet illam eſſe veriſimilem; ac quod perceptum a vobis eſt, deinde affirmatis, & in uſu quoque vitæ ſequimini, ac ei proinde aſſentitis. Cum autem dicitis ſimilia quidem eſſe nonnulla veri, at nihil verum, omnia incerta; hoc ipſum tamquam verum pronuntiatis: nam ſi tamquam falſum; hoc accipimus, nec alia à nobis adhibenda reſponſio eſt. Quid ergo jactatis percipi nihil poſſe? cum affirmari quicquam vetatis, qui & liquido percipitis & palam affirmatis? Ergo diſcuſ-

ſæ ſunt tenebræ dubitationis, conſtant fundamenta ſcientiæ, concidunt argutiæ Academicorum & Scepticorum.

IV.

Magna quoque hæc eſt doctrinæ veſtræ labes, quod graſſatorum more cæteras invadens & perimens; nullo ipſa conſtans loco, nullis hærens principiis, cæca, vaga, incerta, titubans; haud quaquam nomine diſciplinæ digna eſt: nam quæ eſſet impudentia, quem aliis invidet titulum, eum ſibi immerenti adſcribere?

V.

Præterea qui aliis pedicas tendere ſoletis, imprudentes ipſi incurritis in caſſes inexplicabiles, unde nulla vos ſolertia expedire queat: nam cum dicitis nihil eſſe verum neque falſum in rebus quod percipi poſſit; id ſi verum eſt, eſt igitur aliquid verum; ac proinde fallimini, cum dicitis nihil eſſe verum

verum neque falſum; ſin id falſum eſt, fallimini quoque, dum falſum profertis. Similiter irretitus teneris cum ais nullam eſſe demonſtrationem: Sic enim appellemus quam Græci ἀπόδειξιν) nam quæ ad id probandum affers, vel probant id quod vis, vel non probant. Si probant, cum probare argumentis id ſit demonſtrare, ſi non probant, cum demonſtrationem non eſſe fruſtra probare inſtitueris, erit demonſtratio.

## VI.

Deinde hoc quoque validiſſimum adverſum vos telum cuditur, Si ita a Deo comparatus eſſet homo, ut ſemper falleretur etiam in rebus perſpicuis, quod a Carteſio propoſitum uſurpaſti, Deum fore fallacem: quod a nemine ſano & pio nedum a te dici putem: eſt enim (1) *plenus veritatis: eſt via, veritas & vita: is illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum*; nedum ita fingit, ut ſemper fallatur.

(1) Johan. I, 14. & XIV, 6. & I, 9.

## VII.

Postremo ratio hæc dubitandi, hæsitandi, numquam assentiendi, quam ad susceptionem fidei utilem esse ais, mihi contra animos ab ea longe videtur abducere. Nam quid alienius à suscipienda Fide, quam ne clarissimis quidem rebus fidem tribuere? quis in hac vestra adversus sensuum Rationisque vim perpetuo luctandi exercitatione confirmatus animus, Fidei mysteriis, obscuris sponte sua, & nulla subnixis Rationis sensuumve testificatione se submittet? Sapienter (1) Tertullianus: *Quid agis, Academiæ procacissime? totum vitæ statum evertis: omnem naturæ ordinem turbas, ipsius Dei providentiam excæcas, qui cunctis operibus suis intelligendis, incolendis, dispensandis, fruendisque fallaces & mendaces dominos præfecerit sensus.* Et deinde: *Non licet nobis in dubium vocare sensus istos, ne & in Christo de fide eorum deliberetur; ne forte dicatur,* quod

(1) Tertull. de Anim. c. 7.

*quod falso Satanam prospectarit de cælo præcipitatum, aut falso vocem Patris audierit de ipso testificatam.* Sapienter & Augustinus: *Si tollatur* (1) *assensio, & Fides tollitur: quia sine assensione nihil creditur.* Et alibi de Academicis differens, quibus incerta sunt omnia: *Omnino*, inquit, *civitas Dei talem dubitationem tamquam dementiam detestatur, habens de rebus quas mente atque ratione comprehendit, etiamsi parvam, propter corpus quod aggravat animam, quoniam sicut dixit Apostolus, ex parte scimus, tamen certissimam scientiam: creditque sensibus in rei cujusque evidentia, quibus per corpus animus utitur: quoniam miserabilius fallitur, qui numquam putat eis esse credendum.* Et merito sane Rationis patrocinium suscipiunt plerique Ecclesiæ Patres adversus Academicos: nam si Rationem non audimus, labefiet hoc fundamentum, quod religioni Christianæ prosternit Ratio: Deus est: incerta fient & prima illa principia lumine naturali cognita,

(1) Augustin. Enchir. ad Laurent. c. 20. & de Civit. Dei L. XIX. c. 18.

ex quibus pendet fides, Res eadem non poteſt ſimul eſſe & non eſſe: Res eadem non poteſt eſſe hoc & aliud: Idem effatum non poteſt eſſe verum & falſum, ſimul credi & non credi: incertæ item erunt concluſiones omnes Theologicæ, niſi propoſitiones ambæ ex quibus eductæ fuerint, certæ ſint *certitudine* divina: nam ſi alterutra certa fuerit *certitudine* humana, & lumine tantum naturali cognita, concluſio item quæ ſequitur debiliorem partem, juxta receptam in Scholis doctrinam, certa tantum erit *certitudine* humana; puta concluſio hæc: Chriſtus eſt animal rationale, utpote quæ oriatur ex duabus his propoſitionibus: Omnis homo eſt animal rationale: Chriſtus eſt homo; quarum prima certa eſt *certitudine* tantum humana; altera certa eſt *certitudine* divina: Vana item erunt *motiva credibilitatis*, quæ myſteria Fidei proponunt ut credibilia: nam ſi certo & evidenter credibilia non videntur animo, ſed tantum probabiliter, voluntas feretur in

in-

incognitum, animus imprudenter credet, & cum adjuncta erroris formidine. Sic porro labefactata Fide gliſcit etiam corruptela morum: nam qui nihil verum eſſe putat aut falſum, nihil itidem bonum eſſe aut malum putat: quod putare non puduit Scepticos. Hoc autem errore devinctus animus quo tamdem fræno ruentem cohibebit libidinem? atque altera hæc cauſſa eſt, ac fortaſſe præcipua cur a Chriſtianis repudiata ſit factio Pyrrhoniorum, nempe quod Fidem moresque labefactaret; & cur magnus ille veritatis & pietatis aſſertor Auguſtinus, quem mox citavi in teſtimonium, Academicos quibus Ethnicus adhæſerat, Chriſtianus oppugnaverit. Vide jam quo pacto ex his te laqueis expedias, quos equidem diſſolvi non poſſe puto.

VIII.

At ego puto, inquit noſter Ligur, & res fidem faciet, ad quam antequam aggredior, monendus

es ſententiam noſtram vel hoc uno præſtare reliquis, quod hæ labefactantur contradictionibus, noſtra iis oppido confirmatur. Hinc enim apparet obſcuritas rerum, judiciorum infirmitas, & paria in omnibus pugnantium rationum momenta; cum ne in iis quidem vacemus reprehenſione, quæ hæſitantes & incerti proponimus: ut non modo ſcire aliquid tuto non liceat, ſed ne neſcire quidem. Monendus quoque es non plus tibi ex oppoſitis a te argumentis eſſe ſperandum, quam iis qui oppugnata infinitis diſputationibus Academia atque Scepſi, nihil denique ſe profeciſſe ſenſerunt. Sic enim traditum eſt à (1) Plutarcho, doctrinam hanc multis voluminibus magna contentione a præſtantiſſimis Philoſophis appetitam, nuſquam tamen eſſe labefactatam, & integritatem ſuam ſemper retinuiſſe. Id vero quo ipſe re experiare, expendamus ea quæ adverſum nos a te allata ſunt.

(1) Plut. contra Colot.

IX.

IX.

Ais primum ſenſus nos ab homine eripere, excæcare mentem, vera falſis permiſcere, ac idcirco tollere uſum vitæ. Vetus hæc & rancida querela eſt a priſcis Academicis & Scepticis ſæpius compreſſa, cum dicerent, quod ex me non ſemel audiſti, aliud eſſe vivere, aliud philoſophari. Cum agenda vita eſt, cum obeunda officia, deſinimus eſſe Philoſophi diſceptatores, diſputatores, dubii, incerti; ſimus idiotæ, creduli, ſimplices; ficus, ficus: ligonem, ligonem appellamus; redimus ad priſtinos mores & ingenium: mores aliorum hominum, conſuetudines leges habemus quas ſequamur; qui mox dubitabam eſſemne, eſſentne alii homines, nunc his omiſſis, quaſi eſſe me & alios jam certo ſciam, edo, bibo, ambulo, adeo ad amicos, ſaluto, alloquor, aio, nego verum hoc eſſe, falſum illud affirmo. *Alia eſt* (1) enim *illa*, inquit Cicero, *cum veritas ipſa*

(1) Cicero Offic. l. 2.

*ipsa limatur in disputatione, subtilitas; alia, cum ad opinionem communem omnis accommodatur oratio.* At enim, inquies, hoc ipso confutamini, cum quæ animi gratia dubitaveratis, mox usu magistro certissima esse comperitis; velut vos errantes reprehendente & in viam reducente necessitate & experientia. Quasi vero non pervulgatum hoc sit, & in consuetudine positum, rebus uti quamplurimis tamquam veris, & fructum ex iis capere, quas vel incertas vel prorsus falsas esse scimus. Fingunt Astronomi descriptiones quasdam orbium cæleſtium quas systemata & hypotheses vocant. Has veras esse neque putant ipsi neque affirmant: neque veræ esse possunt omnes, cum alia sit hypothesis Copernici, alia Tychonis, seque invicem tollant ac perimant: commode tamen iis utuntur utrique ad siderum motus explicandos, & ad prædicandas Solis & Lunæ defectiones. Terram punctum esse falsum est; in usu tamen Astronomiæ & in describen-

dis

dis Solariis, velut exploratum usurpatur. In ea Geometriæ parte quam Analysin appellant, res quæsita & ignota tamquam vera & cognita poni solet, atque ita ad quæsiti notitiam pervenitur. Quam multa comparantur ab hominibus ad senectutem subsidia, quam an adepturi sint plane ignorant? Peregrinator ignarus viæ non hæret in bivio.

X.

Addis extinguere me lumen scientiæ, & inscitiæ tenebras offundere, quæ altera tua reprehensio fuit. Pergin' vero cramben recoctam nobis apponere? At lautius aliquid & exquisitius exspectabamus. Ad vulgare istud argumentum utar non inani responsione, & jam supra à me allata, immerito in nos transcribi naturæ culpam; si modo in natura culpam esse ullam dicendum est. Quid igitur? qui hominem bullam esse dixit, is ne ut homo bulla esset effecit? Si hominem dixero non posse

posse contra Solem oculos intendere, hanccine præstare debebo imbecillitatem oculorum? En tibi
(1) Senec. de benef. l.VII.c.1. (1) Senecam: *Involuta veritas in alto latet: nec de malignitate Naturæ queri possumus, quia nullius rei difficilis inventio est nisi cujus hic unus inventæ fructus est invenisse. Quidquid nos meliores beatosque facturum est, aut in aperto aut in proximo posuit.* Frustra ergo
(2) Senec. Epist. 88. queritur alibi idem hic (2) Seneca Philosophiam illam dubitandi magistram non præferre lumen quo acies dirigatur ad verum, sed oculos sibi effodere. Non tibi oculos effodit hæc Philosophia, sed cæcitatis tuæ te admonet, qui oculatum te putabas. Quemadmodum qui talpam oculis carere dicit, oculos talpæ non effodit. Quod si vos opinio vestra delectat, si assentatione gaudetis, si vultis id videri scire quod nescitis, fruimini errore vestro: liceat modo nobis id nescire quod nescimus; haudquaquam sane propterea languescet studium scientiæ, nec nos inertes erimus aut illiterati; dum enim

coletis

coletis diſciplinas, veri percipiendi inani ſpe producti iis nos ſtudebimus, videndi ſpe quæ probabiliora erunt & ſimiliora veri. An inertes vero & illiteratos dicere audeas tot claros & nobiles Philoſophos, quorum agmen Dogmaticis objecimus? Eos ſane, ſi æqui eſſe volumus, non doctos ſolum, ſed doctrinarum fere omnium auctores, & primarum artium principes agnoſcemus. Non ergo Arceſilæ, Carneadis & Pyrrhonis ſententiam abjecerunt ventoſi Philoſophi ne imperiti fierent, ſed ne imperitiam ſuam fateri cogerentur. Adde, nobis nulli hærentibus ſectæ, dum probabilia ſequimur, argumentorum vim utrimque eſſe explorandam, uti facere ſe profitentur Academici, neque id ſine diligenti ſtudio & ſingulari eruditione fieri poſſe: contra vero Dogmaticos, factionis ejus cui ſe dicarunt, rationem, conſtitutionem, modum, argumenta fere percipere conari, de reliquis parum laborare. Quod hodie fieri fere ſolet a plerisque Peripateticæ doctrinæ magiſtris.

Hi

Hi postquam contritas assiduo scholarum usu & pervulgatas Philosophiæ formulas hauserunt primum & ad captum deinde auditorum accommodarunt, non modo quid senserit Plato, aut Epicurus, aut Zeno cognoscere neutiquam satagunt; sed ne Aristotelem attingunt omnino: & an ea quam tradere se profitentur Peripatetica doctrina re ipsa Peripatetica sit, prorsus nesciunt. Epicurus ipse Democriti sententias recoxisse contentus, reliquas disciplinas non tam aspernatus est, quam inscitiæ suæ tegendæ aspernari simulavit, quasi ad veram scientiam adipiscendam parum utiles: cum interea Pyrrhonis auditor Nausiphanes, a quo fuerat ipse ad Philosophiam institutus, summa eruditionis laude floreret. Ac complures porro non Academici modo, sed & Sceptici, usu rerum & doctrinæ gloria insignes exstiterunt. Cartesius ipse, etsi veteres pervolutaverat Philosophos, ac recentiores etiam non paucos, eorum tamen inscius videri voluit, ut unus totius suæ doctri-

doctrinæ auctor & repertor crederetur. Atque hanc ejus simulatam imperitiam plerique ejus discipuli non fictam, sed manifestam & contestatam expresserunt. At iidem tamen assertores inscitiæ, eruditionis osores, extinctores humanitatis, quod eorum scripta non obscure produnt, pervulgatam tamen adversus Academicos occentant næniam, summæque eos accusant inscitiæ: quippe qui inquiunt, cum se dicant nihil scire, omnium hominum imperitissimos se agnoscant: quasi cum se nihil scire dicunt Academici, scire aliquid alios fateantur. Attendissent vero attenti illi Philosophi, attentionem animi totis libris commendantes, geminam inesse in sciendi vocabulo significationem, & aliud esse clarissime firmissimeque scire, aliud scire probabiliter; hoc modo scire Academicos ac reliquos homines; illo modo scire neminem. Addunt eos simulatam rerum omnium etiam certissimarum dubitationem præ se ferre, ut ingeniosi in vulgus habeantur. Ingeniosorum

rum igitur titulum famamque captabant ipsi Cartesiani, ac prius quoque captaverat Cartesius, cum ad percipiendam veritatem anteceptis opinionibus quas *præjudicia* vocant, liberandos esse animos pronuntiaret. Verum & ex hac eorum querela, & ex ipsorum scriptionibus facile scias, eos ut politioris omnis literaturæ expertes, sic Academicæ Scepticæque doctrinæ penitus esse ignaros.

## XI.

Nunc solvere conemur tertium tuum argumentum, quo contendis id nos videre quod non videmus, verum scilicet ac falsum: certamque habere notam qua ea discernamus. Mirum sane scire te quid videam, me nescire. Dixi exstare in rebus speciem veri quam sequamur; atque hinc colligis habere nos regulam internoscendi veri & falsi; cum species veri illud sit quo verum distinguitur a falso. At species veri non est certa nota veri, qua visa sciamus

mus verum id esse cui illa inhæret; sed externa aliqua significatio quam cum alicubi deprehendimus, illuc inesse dicimus non veritatem, cum in rebus falsis eadem occurrat nonnumquam species, sed verisimilitudinem & probabilitatem. Ut enim Zeuxis, postquam veli imaginem in tabula à Parrhasio depictam, similitudine captus, velum esse credidit, agnito deinde errore, si aspexisset velum tabulæ obductum, dubitasset an reipsa esset velum; id tantum credidisset speciem illic inesse veli, sive veri sive falsi; quoad rei veritatem propius explorasset: ita nos deprehensa sæpius in rebus specie veri, in quibus tamen verum non esse cognovimus, cum deinde species eadem nobis occurrit, putare debemus, si sapimus, illic inesse verisimilitudinem quamdam, non verum ipsum: cujusmodi similitudo veri & à vero & à falso oriri possit. Tantum abest igitur, ut specie hac verum dijudicari possit à falso; ut quoniam communem eam esse deprehendi vero & falso, decreverim prop-

propterea à veri & falsi dijudicatione omnique assentione deinceps abstinere. At urgebis, Si similitudinem veri cognoscimus, nosse prius debemus verum: nec enim scire possumus an Petri imago similis sit Petri, nisi prius Petrum noverimus. Enim vero & veri & Petri æque incertam habemus notitiam, nempe per ideas quasdam animo nostro obversantes, quæ quam incerti sint indices rerum, fuse jam dixi. Quoniam autem regulam nullam veri habemus, ad quam ideas nostras possimus exigere, æque incerta est idea Petri quæ a Petro orta est, ac idea veri quæ a me conficta est: nec certior sum veram esse ideam Petri, quam veram esse ideam veri. Ut ergo cum dico imaginem Petri esse similem Petri, id volo, ideam imaginis Petri quæ in me est, mihi videri similem ideæ Petri; ita cum dico speciem veri esse similem veri, id volo, ideam speciei hujus quæ in me est, mihi videri similem ideæ veri. Quod autem addis, Si minus verum percipitur à nobis,

at

at percipi ſaltem veriſimile; quippe cum dicimus ineſſe in aliqua re ſpeciem veri, hoc ipſum ſciri à nobis & deinde affirmari: & cum ſpeciem hanc ſive ſimilitudinem veri ſequimur, tum nos aſſentiri; fruſtra igitur jactare nos ab homine percipi nihil, affirmandum eſſe nihil, numquam aſſentiendum: id perfacile diſſolvitur. Nam cum aio in re aliqua me ſpeciem veri deprehendere, id volo, ideas duas animo eſſe impreſſas meo, ideam nempe ſpeciei veri & ideam veri, quas cum ſimul confero, mihi videntur eſſe ſimiles. Ut cum video Petrum, ſtatim exiſtit in animo meo idea Petri. Quoniam autem ideam Petri cum Petro ipſo conferre non poſſum, quia Petrus in animo meo non eſt, ſed ejus tantum idea; prorſus incerta eſt origo hujus ideæ, & ſimilitudo ejus ad rem quam exhibet, neque umquam ex ea clariſſime firmiſſimeque ſciam Petrum hic adeſſe. At id tamen mihi videtur probabile, quia ideæ inter ſe ſimiles alias mihi viſæ ſunt convenientiam cum rebus ſignificare.

Quemadmodum autem veritas eſt conſenſio objectæ extrinſecus rei cum judicio quod mens facit ex intuitu ideæ rei hujus. Igitur dum ad ideam Petri, quæ in me eſt, animum intendo, videre mihi videor inhærentem ei ſpeciem quamdam conſenſionis cum Petro. Tum hujus ſpeciei ideam cum idea veri comparo, eaſque ſimiles eſſe deprehendens, ſpeciem hanc veriſimilem eſſe dico. Ergo, inquis, hoc ſaltem percipis, has ideas eſſe ſimiles. Minime vero, nam percipere eſt clariſſime firmiſſimeque ſcire: neutiquam autem novi ideas omnes quas gero in animo. Me inſciente & incogitante varii in animo ſignantur & obliterantur ductus, ſulci, veſtigia: magna ad cerebrum meum appellit ſpirituum copia, magna abſcedit: varie illi moventur & agitantur: quamobrem rerum multarum invitus memini & obliviſcor; non æque ſemper valeo acumine ingenii, non æque utor ratione: nec proinde in poteſtate mea ſunt ideæ rerum, neque idearum naturas, cauſſas, ortus, interitus ſatis ſcio; quam-

quamobrem nec earum ſimilitudines firmiſſime percipio. Quod autem firme non percipio, nec certo affirmo. Satis profecto oſtenſum jam ante a nobis eſt, dubiam eſſe fidem cerebri, ignotam naturam intellectus. Inſunt autem ſpecies in cerebro, ſulci nempe in eo per ſpirituum nervorumque motum impreſſi; ex his ideas fingit intellectus, quas & inter ſe comparat, ſimilitudineſque deprehendit. Quid ergo indubitanter poſſum percipere ex inſtrumentis dubiæ fidei? quid ſine conſtanti ac firma perceptione affirmare? Itaque cum ait Academicus veri eſſe nihil, omnia incerta, nihil ſciri; hæc non affirmantis ſed narrantis more pronuntiat. Atque hic valet vetus illa Carneadis Scepticorumque ſupra jam a me uſurpata exceptio: dicta hæc ſe ipſa includere: & cum quis dicit percipi nihil poſſe, ne hoc quidem excipere ipſum quod dicit; & cum cæteris pronuntiatis hæc interimere ſe ipſa: ut olim Sanſon eadem ruina qua Spectatores ſe ipſe oppreſſit. Nec nos turbat quod

( ) Aristocles apud Euseb. Præparat Evang. l. XIV. c. 18.

objicit (1) Aristocles, frustra adhiberi dicta hæc, quæ se ipsa confutent & inania sint: quippe frustra non adhibentur nec inania sunt, si reliqua secum confutent: ad id enim usurpantur dumtaxat, ut confutent cætera, non ut ipsa per se constent, seque tueantur.

XII.

Quod autem deinde huic instituto titulum detrahis disciplinæ, & sectæ, & Philosophiæ, parum me movet: quid enim refert quo nomine utaris, res modo constet? non sectam sed sectarum everriculum, & *non philosophandi Philosophiam* appelles, uti appellatur à nonnullis, per me licet. Neque vero æquum est, qui disciplinæ nomen eripiamus aliis propter inscitiam veritatis, hoc ipsum usurpare, dum in eadem nos inscitia versari fatemur. Eodem ergo mucrone se ipse transfixerit Arcesilas, quo reliquos Philosophos, uti caussatur Lactantius: idem erit fatum universæ Philosophiæ & Dogmaticæ &

Lactant. l. III. c. 4.

Lactant. l. III. c. 5.

Apo-

Aporeticæ: hoc eſt, affirmantis & dubitantis. Quamquam hac illis parte præſtamus, quod nihil ſcire ſe neſciunt; nos ſcimus, etſi non certo nec ſine dubitatione. Præterea veriſimilitudinem quam ſequamur, nobis concedunt; nos veritatem quam quærunt, tollimus. Ac propterea cum & plus illis intelligamus, & illorum ſublevemur ſuffragiis atque noſtris, illi tantum ſuis; ſplendido Philoſophorum vocabulo, ac diſciplinæ titulo digniores ſumus. Falluntur præterea, quod Philoſophis indignum eſt: nos qui nihil affirmamus, qui nuſquam aſſentimur, certe neque fallimur neque poſſumus falli, quoad non affirmamus neque aſſentimur. Utra autem ſecta diſciplinæ nomen potiori jure meretur: eane quæ incerta dogmata pro certis habens, aliaque ex aliis incerta deducens & in ordinem ac ſeriem componens, vera eſſe defendit etſi dubia ſunt, iiſque mordicus adhæreſcit? an quæ nulla proferens dogmata, nihil affirmans, ea tantum proponit quæ ſibi videntur probabilia, & ut veriſi-

risimilia affert quæ verisimilia sunt, ex iisque textum quoddam efficit? utri melius tutiusque habitant, iine qui ficulneis trabibus & quassatis arundinibus celsam domum struunt, structamque incolunt? an qui infirmitate materiæ hujus perspecta, nec solidiorem reperientes, ruinam veriti, malunt in nativis antris solidaque petra cubilia ponere, fruges & suppellectilem recondere? Quid quod & probabilia isthæc in formam disciplinæ suis constantem partibus, seque egregie tutantem redigi possunt? Testis certe locuples Sextus Empiricus, qui accuratam modestæ hujus & nihil sibi arrogantis Scepticorum doctrinæ descriptionem dedit aptam ex sese & cohærentem: testes & alii plerique qui similibus idem præstiterant commentariis annorum serie consumtis.

## XIII.

Evolvemus quoque nos ex istis cassibus quos inextricabiles opinabare, cum diceres, si verum est quod

quod defendimus nihil eſſe verum neque falſum, eſſe igitur aliquid verum, propetereaque nos falli: ſin id falſum eſt, falli nos quoque dum falſum proferimus. Hoc enim argumentum ad illud redit quod mox a te allatum eſt, cum aio nihil percipi poſſe, nihil affirmandum eſſe, hoc ſaltem me percipere, me affirmare. Par itaque eſt adhibenda reſponſio: nempe cum dicimus nihil eſſe verum neque falſum, hanc propoſitionem ſeipſam includere; neque exceptam eſſe ab hac univerſali lege qua negatur verum eſſe quicquam aut falſum. Nam ſi in formam compingas argumentationem iſtam, quorſum recidat clarius intelliges; erit autem hujuſmodi: Cum dicimus nihil eſſe verum neque falſum, id vel eſt verum vel eſt falſum: ſi eſt verum, falſum eſt igitur quod dicimus nihil eſſe verum neque falſum: ſi eſt falſum, falſum eſt itidem quod dicimus nihil eſſe verum neque falſum. Ergo falſum eſt quod dicimus nihil eſſe verum neque falſum. Non concedimus tibi majorem ſumtio-

nem; manifesta est enim petitio principii, ut Dialecticorum vocabulis utar: sumis quippe quæsitum pro concesso, nam ponis nullum esse pronuntiatum quod non sit verum vel falsum, cum dicamus nihil esse verum neque falsum. Posita autem sumtione incerta & dubia conclusio nulla est. Consimile in scholis affertur exemplum argumenti quod ἀσύςατον vocant. Fingunt somniasse quemdam ne somniis crederet: si credat somnio huic, inquiunt, simul credet & non credet somniis; credet quidem somniis, quippe qui credat somnio huic; non credet somniis, vetat quippe hoc somnium ne credat somniis. Si non credat somnio huic, credit itidem simul & non credit somniis; somniis quidem credet, quippe qui facessat somnii hujus præceptum quod vetat ne credat somniis: somniis non credet, quippe qui non credat somnio huic. Hæc in se incurrere videntur, seque perimere. At eadem solutio ac superiorum. Hoc enim somnium fidem sibi derogat, itidem ut aliis quibuscum-

que

que. Non reliquis ergo ſomniis is detrahet fidem, qui credit poſtremo huic, ſed admonitus tantum, non perſuaſus, univerſa, atque hoc etiam pro falſo habebit. Nihilo plus laborabimus in refellendis iis quæ pro demonſtratione (ſic enim appellas ἀπόδειξιν) diſſeruiſti. Quæ afferimus, inquis, ad tollendam demonſtrationem, vel probant tollendam eſſe demonſtrationem vel non probant: ſi probant, eſt igitur demonſtratio; cum demonſtrare ſit probare argumentis; ſi non probant, eſt igitur itidem demonſtratio, cum quæ ad eam tollendam afferimus, non probent eſſe tollendam. Ponitur hic quoque ut conceſſum quod ambigitur, omnem videlicet argumentationem aliquid probare vel non probare. Cum autem probare inſtituimus nullam eſſe demonſtrationem, probatio ipſa qua ad id utimur, ſe ipſam includit, ſeque ipſa perimit. Ergo, inquies, ſi probatio iſta nihili eſt, caſſa & inanis, ſequitur ſtare demonſtrationem, quam hac probatione oppugnabam. Probationem

 hanc

hanc fatemur non esse veram, cum nihil sit liquido verum; neque certi quicquam concludere, cum nihil sit constanter & indubitanter certum; verisimilem tantum esse aio. Quæ autem verisimilia sunt, nihil concludunt certi; quod tamen ad demonstrationem requiritur. Nugantur vero Epicurei, cum altero hoc argumento nos urgent; vel scire nos quid sit demonstratio, vel nescire; si scimus, esse igitur demonstrationem: si nescimus, ineptos esse nos, qui rem nobis ignotam oppugnemus. Simili enim argumento premi poterunt, quicumque dixerint non esse quippiam: notiones autem rerum quæ non sunt, animo licet informare.

## XIV.

Ais deinde, si tales a Deo conditi essemus ut semper falleremur, etiam in rebus notissimis, fatendum fore Deum esse fallacem, quod vel suspicari nefarium est. Purget se de eo Cartesius auctor argumenti hujus, quod recitavimus, non probavi-

bavimus. Aliud enim ſuadet nobis Chriſtiana pietas atque Fides. Finge te vero pugnare cum Carteſio: pertendet ille ſcilicet non idcirco futurum fallacem Deum (abſit verbo impietas) etiamſi tales nos condidiſſet ut ſemper falleremur. Nam cum tales nos condiderit, ut aliquando fallamur, nec propterea fallax dicendus ſit; ita neque fallax habendus eſſet, etiamſi ſemper falleremur. Præterea etiamſi Deus tales nos effeciſſet ut ſemper falleremur, non ob id ſolum dici poſſet fallax; ſed neceſſe præterea foret, ut tales nos effeciſſet, qui cum ſemper falleremur, certo tamen crederemus nos non ſemper falli: ut mendax neutiquam habendus eſt qui fabulas narrat; ſed qui cum fabulas narret, perſuadere vult auditoribus ſe vera narrare: nec is doloſus, qui male materiatas ædes & ruinoſas vendiderit; ſed qui cum caducas venderet, firmas eſſe & integras dixit. Imo vero vir bonus habebitur, ſi ruinoſas eſſe præmonuerit. Ita Deus infidos eſſe ſenſus noſtros, caducam Rationis noſtræ

I. 6. fidem

fidem, tenue ingenium, obscuras & incertas perceptiones rerum, clarissimis documentis significavit; non oraculis modo scriptorum sacrorum quæ attulimus supra, non ipsorum modo sensuum Rationisque natura, sed experientia quoque ipsa: qua magistra cum didicerimus sæpe nos falli, intelligendum quoque id fuit semper nos falli posse; vel certe si quando non fallamur, scire nos neutiquam posse tum nos non falli. In eo itaque vel maxime declarat Deus se esse *plenum veritatis*, & veritatem ipsam; quod nos errantes erroris nostri commonefaciat, nec falsis rerum imaginibus deludi patiatur, suadeatque interno hortatu & assiduo ut certam veritatis normam non a sensibus vel a Ratione, sed a se per Fidem exspectemus. Imo vero longe utilius nobis à Deo consultum est, cum a nobis sustulit veritatis notitiam, quam si aditum ad eam planum & patentem aperuisset. Postquam enim probe intellexerimus verum à nobis clarissime & firmissime percipi non posse, contine-

tinebimus aſſenſum, nec umquam fallemur; fallemur autem ſæpiſſime, ſi veritatis compotes nos fieri poſſe ſperemus. Sic nempe adverſus petitionem tuam ſe tuebitur Carteſius. Sed res ipſe ſuas agat: nos alienæ cauſſæ vitia non præſtamus.

## XV.

Gravi denique hoc pulſamur argumento, quod retinendis aſſenſionibus abducimur a ſuſceptione Fidei, morumque corruptelam inducimus. Suppetunt vero argumenta quibus adduci in concordiam poſſent Fides & Ratio, atque oſtendi nullum Fidei timendum eſſe periculum a Ratione. Sua quippe lux eſt Rationi, etſi tenuis & obſcura. Verum ad firmam, tenacem & inconcuſſam veritatis perceptionem non ſatis utile eſt ejus, uti neque ſenſuum ac naturæ ſubſidium; at quæ per lucem mentibus noſtris præter humanæ naturæ leges divinitus infuſam percepta habemus, iis ſubmittere animum decet. Suſcepta porro Fide, mo-

res ex Fidei præſcripto componere neceſſe eſt. Deinde etiamſi careremus ſanctiſſima hac norma Fidei, habemus certe legum & conſuetudinum regulam, ex qua mores noſtros fingamus. Quæ autem in ſenſuum patrocinium graviſſimis verbis declamat (1) Tertullianus, vitæ ſtatum everti, naturæ ordinem turbari, Dei providentiam excæcari; tritæ hæc ſunt Dogmaticorum querelæ, ſuperioribus diſputationibus ſatis a me ſedatæ. Nec ex humanitate Chriſti quæ divinitati conjuncta fuit, & quæ tam ab errore quam a peccato fuit aliena, petere debuit argumentum. In Apoſtolis ſanctisque hominibus quorum facta atque dicta pertinebant ad propagationem Fidei, & ſummam illam Rationis ac ſenſuum fidelitatem & *certitudinem* conſervavit Deus, quam fert humana natura & ab erroribus defendit præſentibus auxiliis. (2) Auguſtino vero concedimus, ſine aſſenſione non conſtare Fidem; at aſſenſionem Fidei dicimus alterius eſſe generis ac aſſenſionem Rationis. Dubitationem

(1) Tertull. de Anim. c. 7.

(2) Auguſt. Enchir. ad Laur. c. 20. & de Civ. Dei l. XIX. c. 18.

tionem eliminat e Civitate Dei; & merito, si adhibeatur ad res Fidei, Fidemque labefactet Ratione certissimam vult haberi scientiam: certissimam nempe *certitudine* humana, quam alibi infirmam esse agnoscit; caligare quippe hominum mentes, mersas sordibus corporis & erroris tenebris velatas in lucem veritatis non posse aciem intendere. Exsequamur deinceps reliqua argumenta nobis opposita. Si Rationem, inquis, non audimus, labefiet hoc Religionis fundamentum, quod ipsa in animis nostris jecit ratio. Deus est. Scires vero duplici modo Deum cognosci ab hominibus: per Rationem summa *certitudine* humana; per Fidem summa *certitudine* divina. Quamvis per Rationem notitia nulla comparari possit certior notitia Dei, adeo ut argumenta quibus oppugnatur ab impiis præ ea sint nauci, facileque obterantur, neutiquam tamen certa est hæc notitia *certitudine* perfecta. Inde fit ut Patres Ecclesiæ vix eum nosse Deum putent, qui per Rationem tantum Deum

Deum novit, non per Fidem: ac nullo propemodum loco habeant notitiam Dei partam per Rationem. Nam quid sibi vult (1) Tertullianus his verbis, quæ jam supra allata sunt à me? *Cui Deus cognitus sine Christo? cui Christus exploratus sine Spiritu sancto? cui Spiritus sanctus accommodatus sine Fidei sacramento?* Quid (2) Athanasius, cum ait Divinitatem tradi non argumentis Rationum, sed in Fide & pia cogitatione cum pietate? Quid Joannes Chrysostomus, cum deridet Philosophos, quod mundum ex nihilo conditum esse non crederent, Deum vero carere principio & ingenitum esse facile crederent; quamvis hoc multo minus credibile sit, & neutrum Ratio persuadeat, sed Fides? Quid (3) Petrus de Alliaco, cujus hæc verba sunt? *Licet ista propositio, Deus est, non sit nobis evidens aut evidenter demonstrabilis, ipsa tamen est naturaliter probabilis:* quo testimonio utitur Gabriel (4) Biel dum ipse definit *patere sufficienter licet non evidenter, quod oportet dari primum conservans,* &

(1) Tertull. de Anim. c. 1.

(2) Athanas. ad Serapim.

(3) Petrus de Alliaco, in I. Quæst. III. tit. 10.

(4) Biel in I. Dist 2. Qu. 10. art. 3. Dub. I.

*& ita primum efficiens.* Quid (1) Thomas, cum sic disputat? *Ratio humana in rebus humanis est multum deficiens, cujus signum est quia Philosophi de rebus humanis naturali investigatione perscrutantes in multis erraverunt, & sibi ipsis contraria senserunt. Ut ergo esset indubitata & certa cognitio apud homines de Deo, oportuit quod divina eis per modum Fidei traderentur, quasi a Deo dicta qui mentiri non potest.* Quamvis autem ad probandum Deum ea adhiberi possint argumenta, quæ simul collecta non minus habeant ponderis ad convincendos animos ac Geometrica ipsa principia, ortaque ex iis theoremata, summamque habeant *certitudinem* humanam, quoniam tamen inventi sunt insignes Philosophi qui principia hæc oppugnarint aperte, manifestum est neque naturali huic notitiæ Dei, quæ comparatur per Rationem, neque principiorum & theorematum Geometricorum scientiæ perfectam inesse & numeris omnibus absolutam *certitudinem*, sed eam tantum quam humanam

(1) Thom. 2. 2. Q. 2. art. 4.

manam diximus; cui tamen virum quemlibet prudentem deceat animum submittere. Nec his adversaria sunt quæ habentur in libro (1) Sapientiæ, & in Epistola ad Romanos, vanos esse homines & inexcusabiles, qui ex mundi opificio virtutem & divinitatem opificis non intellexerunt. Quippe, ut (2) Vasquis verbis utar, *Scriptura his locis contendit solum semper fuisse sufficiens Dei testimonium ex Mundi fabrica & aliis effectibus, ut ab iis cognosceretur. Utrum autem notitia evidenti an solum probabilissima nihil curat: hæc enim verba,* videntur, & conspiciuntur, *communi quadam & magis usitata significatione quamlibet intellectus notitiam cum assensu determinato significant.* Cum addit: *Nam si aliquis modo Christum negaret, non propterea excusari non posset, quia evidentem rationem illius habere potuisset; sed quia Fide & notitia prudenti potuisset credere.* Merito ergo statuit Suares *naturalem evidentiam illius principii, Deus est prima veritas quæ fallere non potest, neque*

(1) Sap. XIII. & seq. Rom. I, 20.

(2) Vasq. in Thom. I. part.

(3) Suar. disput. 3. de Fide, Sect. 6.

*que esse necessariam, neque etiam sufficere ad credendum per Fidem infusam ea quæ Deus revelat.* Non esse necessariam probat experientia teste; nam idiotæ Christiani etsi nihil de Deo clare certoque cognoscunt, Deum tamen esse certo credunt. Ipsi quoque Christiani ingenio & doctrina præditi, uti observatum est à (1) Thoma, ante credunt Deum esse, quam id Ratione perspectum habeant. Non sufficere naturalem principii hujus claritatem inde Suares ostendit, quod Fides divina mentibus nostris infusa niti non potest sola fide humana, quantumlibet clara atque firma, tamquam *objecto formali*; cum firmior assensus nobiliorisque ordinis *certitudinem* ducere non possit ab assensu infirmiori. Sic sentit (2) Thomas, sic alii Theologi, nec de virtutibus tantum theologicis, sed & de moralibus à Deo infusis, quæ par rationem naturalem pro dignitate regi non possunt. Minime vero ista infringuntur hoc Pauli decreto, (3) *Credere oportet accedentem ad Deum, quia est:* quippe

(1) Thom. 2. 2. Q. 2. a. 4. & 5.

(2) Thom. 22. Q. 2. a 4. & 1. 2. Q. 63. a. 3. in corp. & ad 3um.

(3) Ebr. XI, 6.

pe credi id jubet Fide non naturali sed divinitus infusa: nam proxime id præmisit, *sine fide impossibile est placere Deo:* & ita interpretati sunt Patres (1) Tridentini. Effatum autem illud Thomæ, *eodem actu nos credere Deo & Deum*, indicat Fidem illam divinam qua credimus Deum esse à Deo ipso, non à natura & Ratione humana proficisci. *Talem enim modum fidei*, inquit Suares, *meretur excellentia primæ veritatis, ut cum resolutio fit ex objecto materiali ad formale, ipsum objectum formale non aliud resolvatur, sed per se ipsum credatur, quia potest de se ipso testificari.* Ad id autem quod adjecisti, futurum ut Fides pendeat ex incertis, si incerta sunt prima principia lumine naturali cognita, cujusmodi est illud, Res eadem non potest simul esse & non esse; præclara est ejusdem Suaris responsio: *Si aliquod est principium primum quod necessario involvatur in assensu Fidei, est etiam ipsa Fide creditum; neque Fides pendet ab eo ut naturaliter cognito. V. G. si credo Deum esse trinum, necessario credo*

(1) Concil. Trid. eff. VI. c. 6.

*credo non esse unicum in persona, neque esse quatuor personas: non propter principium naturale quodlibet est vel non est, ut naturale est; sed quia ipsamet Fides, quæ facit credere affirmationem esse veram, facit etiam credere negationem esse falsam.* Et sic de cæteris. Fides igitur non pendet ex primis illis principiis, sed ea tantum ponit ut certa, summa nimirum illa quam dixi *certitudine* humana, ad quam postmodum accedente Fide, ex certis summa *certitudine* humana fiant certa *certitudine* divina: quod paulo ante ita probatum est à me, ut assentiri visus sis. Inde autem facile intellexisti mentem humanam, quamdiu Ratione nixa in primis illis principiis figit pedem, vix locum tenere; simulac vero opem tulit Fides, firmis insistere vestigiis, quod & supra jam docui. En tibi pervagatum illud, totiusque veteris Philosophiæ assensu comprobatum axioma, ex nihilo nihil fit: ad quod tamquam inconcussum firmissimumque fundamentum adhærens Plato, mundum finxit

xit ex materia æterna: Ariſtoteles ortu carere; id per Fidem caſtigatum eſt & repudiatum. Quidni vero & aliis axiomatis idem cenſeam accidere divinitus poſſe? Annon & vi divina fieri poſſe ſtatuit Carteſius, ut res eadem ſimul ſit & non ſit, idem effatum ſimul verum ſit & falſum? Ex quibus liquido conſtat Rationem dum circa prima verſatur principia, licet ſummam obtineat humanam *certitudinem*, aliquid tamen ei ad perfectam *certitudinem* deeſſe, quod ſuppletur per Fidem. Nec his ſolum axiomatis primisque principiis, ſed & reliquis enuntiatis, quæ minus late patent, minusque facilem ab humanis mentibus extorqueat aſſenſum, *certitudinem* vimque conciliat Fides. Hujus generis pleraque ſunt quæ codicibus ſacris, quæ Conciliis & Eccleſiæ decretis continentur. Puta ea quam attuliſti propoſitio: Chriſtus eſt animal rationale; non modo per tuam argumentationem perque Rationem certa fit, ſed etiam per Fidem. Certa & per Fidem mihi fiunt hæc enun-

enuntiata, Homo conſtat corpore & anima, Homo ſentit atque vivit, Ergo ſum & vivo, quippe qui credo, meque credere ſcio. Hæc quæ per Rationem certa habebantur *certitudine* humana, accedente Fide jam certa fiunt *certitudine* divina, faceſſuntque tenebræ illæ quibus obſita eſt mens noſtra. At præclarum ſane hoc eſt Fidei, Theologiæque ipſius beneficium, præter alia pleraque, quod confirmat nutantem animum, & in plenam, claram atque firmam veritatis notitiam adducit. Inſtabis vero, dicesque formam ſaltem, quam vocant, ſyllogiſticam, extra Fidei cenſum eſſe, neque aliam in ea certitudinem ineſſe poſſe quam humanam, ex ea tamen pendere *certitudinem* concluſionis, quæ ſi ad Fidem pertineat, non alia erit *certitudo* concluſionis ad Fidem pertinentis, quam humana. At ſcito *certitudinem* concluſionis hujus quæ pertinet ad Fidem, neutiquam ex *Syllogiſticæ* formæ *certitudine* pendere, quæ ad eam, ut Scholæ more loquar, *mere ſe habet per accidens.*
Sciſ-

Sciſcunt enim Theologi ac(1)Thomas imprimis *divinam ſcientiam non eſſe diſcurſivam vel ratiocinativam, ſed abſolutam & ſimplicem:* & uno eodemque actu ferri animum in *objectum materiale* propter *formale*; & uno itidem eodemque actu credi Deo & Deum; quippe Fidem, dum mentibus noſtris illabitur, efficere ut & ipſa & res quas proponit ad credendum, admittantur & credantur. Quemadmodum lux & ſe ipſam & alias res facit aſpectabiles. Appoſite ad hæc 2)Chryſoſtomus, quem jam citavi in teſtimonium, per Fidem videri ait res obſcuras, & res quæ videntur certas fieri ac confirmari per res quæ non videntur: ac Fidem conſtare non poſſe, niſi certius de rebus quæ non videntur fuerimus perſuaſi quam de iis quæ videntur. Jam ad *motiva credibilitatis* quod attinet, quæ cum animum comparent ad ſuſcipiendam Fidem, certiſſima eſſe vis, non ſolùm ſumma *certitudine* humana ſed abſoluta, opponimus tibi Gabrielem (3) Bielem, qui ad Fidem comparandam ſatis

(2, Chryſoſt. in Ebr x, 2. Hom. 21.

(3) Biel. in 3. diſput. 24. act. 3. dub. 1.

ſatis eſſe definit ſi *motiva credibilitatis* proponantur ut probabilia: Putâſne vero pueros vix ratione præditos, barbaros homines, ſtolidos, imperitos, Fide tamen pollentes, *motiva* illa *credibilitatis* animo clariſſime firmiſſimeque percipere? neutiquam ſane; ſed præsto eſt gratia Dei, & interna lux, per quam naturæ & Rationis firmatur imbecillitas. Quæ Theologorum eſt communis doctrina. Atque has gratiæ divinæ ſuppetias, non in rudibus ſolum hominibus, ſed in doctis quoque & acutis requirit Ratio; quæ quantumlibet ſit perſpicax, Fidem tamen divinam conciliare non poteſt, niſi lux de cælo intrinſecus affulgeat. Quippe, ut dixi, Fides divina, utpote ſuperioris ordinis, robur ducere non poteſt a fide humana. Itaque ſemipelagianos damnavit Eccleſia, quod initia Fidei à nobis eſſe putarent, non a Deo. Hinc illud Arauſicani Concilii decretum: *Si quis per Naturæ vigorem bonum aliquod, quod ad ſalutem pertinet, cogitare ut expedit, aut eligere, ſive* Concil. Araus. C. 7.

*prædicationi consentire posse contendat absque illuminatione & inspiratione Spiritus Sancti, hæretico fallitur spiritu.* Par & illud Tridentini: *Si quis dixerit sine præveniente Spiritus Sancti inspiratione atque ejus adjutorio, hominem credere sicut oportet, ut ei justificationis gratia conferatur, anathema sit.* Par & illud Thomæ placitum: *Lumen Fidei facit videre ea quæ creduntur.* Item: *Fideles eorum quæ sunt Fidei habent notitiam, non quasi demonstrative, sed in quantum per lumen Fidei videntur esse credenda.*

Concil. Trid. sess. VI. Can. 3.

Thom. 2. 2. Q. 1. a. 4. ad 3. & a. 5. ad 1.

## XVI.

Cur autem abjecta sit sententia Pyrrhoniorum minime eæ caussæ fuerunt quas suspicaris. Factum id putas ab Ethnicis, ne abjectæ jacerent disciplinæ: cum eas tamen a viris summis dubitandi artem secutis diligenter excultas fuisse ostenderim. Factum putas a Christianis, ne Fidei moribusque officeret: cum tamen Ciceronis ætate vel jam concidisset penitus, uti sæpius

pius ab eo traditum eſt; vel, quod verius eſt, ad paucos recidiſſet; quo tempore nihil a Scepticis vel religioni ſuæ vel moribus metuebant Chriſtiani nondum exorti. Factum id potius ex innata homini ſuperbia, qui cum hac opinione imbutus ſit & inflatus à natura, ratione ſe præſtare cæteris animantibus; participem eſſe ſe intelligentiæ, capacem diſciplinæ, natum ad ratiocinandum, ad cognoſcendum, ad ſciendum, dolet eripi ſibi præclaras haſce dotes, cogi ſe in ordinem, & ad perpetuas inſcitiæ tenebras damnari. Minime ergo patitur demi ſibi gratiſſimum errorem mentis; glorioſamque & honorificam inſaniam anteponit obſcuræ & inopi ſapientiæ: & ne ex avito illo ſcientiæ fundo, velut ex luculento aliquo patrimonio a natura ſibi tradito, dejiciatur ab Academicis & Scepticis, mavult eos, ſic tamquam extortores Rationis & ſcientiæ contortores vi armisque perſequi, quam lege agere & ad interdictum venire: quippe ſi fecerit de inſeſſa ſibi contra jus poſſeſſione

videt esse decedendum. Jam igitur intelligis, opinor, quam leves sint & frivolæ contradictiones Dogmaticorum: quibus tamen permoverer fortasse, si secta ulla Philosophorum careret reprehensionibus; vel si disciplinam ullam probaret quisquam Philosophus præter suam. At illi quoniam perpetuo dissident inter se & continenter bellum gerunt, postulandum non est ut nobiscum pacem colant. Neque vero recusare ipsi possumus, si æqui esse volumus, quin nobis contradicant plurimi, qui omnibus contradicere solemus. Qui quoniam reprehensionibus nostris ab errore suo dimoveri se non sinunt, pati illos itidem æquum est objurgationibus suis minime nos perturbari. Erudita illa & doctrinis ad miraculum exaggerata secta Pythagoreorum, infinitis primum vexata calumniis & ludibriis, penitus tamdem exolevit: sive quod nobiliora ejus inventa suppilaverint Plato, Aristoteles, Speusippus & alii; ac recocta & interpolata in se transmoverint; quæ vero irrisui opportuna

tuna erant, sepofita collegerint, & velut materiam sectæ hujus exagitandæ cavillatoribus subministrarint, quæ (1) Porphyrii conjectura est: sive quod contemtionem ipsi pepererint adulterini quidam libelli, & infanda ac peregrina symbola factioni huic afficta, quemadmodum suspicatur Iamblichus. Neque hic tamen, neque alii complures aspernatione hac dejecti sunt ab instituto, fretosque se jactarunt Deorum præsidio, in quo vellent acquiescere. Quibus convitiis agitata est Epicuri doctrina ob sublatam Divinitatem, depravatos mores, extinctum pudorem, invectam licentiam? vulgo certe habita est tam infamis ut recentiores Judæi arrogantiæ, impudicitiæ, & lupanari quoque de Epicuri nomine nomina fecerint. Nuper tamen exstitit Gassendus, instituto sacerdos, qui eam tot jam annos sepultam excitaret: plurimorumque & doctorum ac piorum hominum approbationem meritus est. Ne hac quidem reprehensione immunis fuit Cartesius, quamvis &

Porphyr. Vit. Pyth.

Iambl. Vit. Pyth. L. 1. c. 1.

Deum esse & animum distinctum esse a corpore demonstrare conatus sit: nec ea tamen calumnia absterriti sunt ab ejus opinionibus persequendis viri omnium ordinum graves & eruditi.

Quæ cum ita sint, minime nobis speranda sunt æquiora inepti vulgi judicia: nec si adversis premimur suspicionibus & querelis ideo desistemus a proposito, quidquid probabile visum fuerit sequendi, quoad probabilius quippiam nos avocet & alliciat: nec id scire nos interim fatebimur quod nescimus: plurisque libertatem judicii nostri, quam vanorum hominum approbationem æstimabimus. Magnopere quidem me confirmaret & incitaret tua, amicissime vir (magna enim erat in egregio hoc viro verborum morumque comitas) quam utinam consequi possem. Et vero soluta hæc quam profiteris & libera philosophandi ratio, per omnes excurrens disciplinas, neque ulli se alligari patiens, ad nostram te caussam satis ostendit esse propensum, non multum certe aver-

sum.

ſum. Quod ſi alia tua ſententia eſt, neque pugnabo tecum, neque poſtulabo, ut quam ego philoſophandi licentiam tanto niſu tueor, eam tu projicias. Tum ego, ſcrupulum injeciſti, inquam, ſed res habet deliberationem, & diligenter ac per otium conſideranda eſt. Me ſi alia deterrebunt ab hac doctrina, & ſi parum in Philoſophia valere debet auctoritas; movebit tamen tua ac fortaſſe revocabit. Malim, inquit ille, id tribuas amicitiæ; ne in magna vitæ ac ſtudiorum conſenſione, hæc intercedat opinionum disjunctio. Hæc fuit apud me excellentis Philoſophi diſputatio; nec abſurda ſi quid ſapio, nec inſuavis: quid enim diſſimulem? in ea certe commotus ſum.

FINIS.



